
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

http://books.google.com





Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo


Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`



C 82 190.5F

Harvard College
Library



FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PII X

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA


Vol. III.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA VATICANA
1908

Digitized by Google

C 82.190.5 F



Treat fund

Digitized by Google

BVLLA SEV LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIONIS TRIVM NOVARVM PAROECIARVM
ID EST
SANCTI FRANCISCI AD RIPAM MAIOREM
SANCTAE THERESIAE AD PORTAM SALARIAM
SANCTI IOSEPH IN VIA NOMENTANA

—

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanas aequabilius distribuere et componere Paroecias, quemadmodum pro adaucta recens amplitudine et civitatis et Urbis exposcere animarum salus videbatur, superiore Nos quidem anno ingressi sumus; quum, binis e paroeciarum numero expunctis, binas item earum loco instituimus, alteram scilicet ad Aedem, ut aiunt, Novam sive Sanctae Mariae in *Vallicella* et S. Gregorio I dicatam, alteram Sancti Ioachimi in Pratis. Idem nunc persequi incoeptum, atque alium quodammodo gradum facere ad id quod Nobis propositum est, quandoquidem huius rei sese dedit maturitas, his Litteris volumus. — Nos igitur, de Apostolicae potestatis plenitudine, paroecias Urbis Romae duas, id est SS. Salvatoris *de Curte* et S. Bartholomaei in insula tiberina, abolemus

Digitized by Google

et extinguimus: simul autem in earum locum duas sufficimus et constituimus paroecias, id est Sanctae Theresiae extra pomoerium ad Portam Salariam, et Sancti Francisci vico Ripae maioris. Ad has propterea novas paroecias omnia et singula exstinctarum bona, reditus et iura transferenda erunt: atque ita, ut ad paroeciam S. Theresiae ea spectent, quae SS. Salvatoris paroecia obtinuit, ad paroeciam autem S. Francisci, quae S. Bartholomaei paroeciae fuerunt. Aliam praeterea paroeciam ex integro novam fundamus, Sancti Iosephi via Nomentana. — Ad fines vero quod attinet, quibus tres hae paroeciae contineri debeant, potestatem facimus Dilecto filio Nostro, Cardinali vice sacra Antistiti Urbis, eos auctoritate et nomine Nostro terminandi, itemque contiguarum paroeciarum terminos, si res postulaverit, definiendi.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore,

Digitized by Google

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero Transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis erectionis et translationis derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Digitized by Google

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Nongentesimo Sexto, VIII Idus Ianuarii, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. CARD. DI PIETRO PRO-DAT. — A. CARD. MACCHI

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. CVGNONIVS

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
PONTIFICALI HELVETIORVM COHORTI
NVMISMA DECERNITVR OB MEMORIAM EXPLETI QVARTVM SAECVLI
A COHORTE COSTITVTA

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Helvetios Pontificalis Domus praesidium et Nostrum celebraturos mox esse accepimus natalem Cohortis suae quadringentis ipsis ante annis providentia et auctoritate Iulii PP. II Decessoris inclyti constitutae. Equidem occasionem adeo opportunam omittere non possumus Nostrum erga dilectos eos filios animum significandi, praesertim cum singularis haec eventus faustitas praeclaras ad commemorandum res multas obiiciat. Sane, quo nobilissimo praeconio gentem Helvetiam ornavit Leo PP. X, quum « *Defensores Ecclesiae libertatis* » dixit, eo se dignam in primis haec praestitit Helvetiorum cohors. Longum est persequi quae et quanta dederit virtutis egregiae hoc toto intervallo documenta; sed ad memoriam maxime insigne est quod in Borbonia illa caede ac direptione Urbis contigit. Nam si tum Clementi per circumfusa capiti discrimina incolumi licuit se recipere in arcem, Helvetiorum praecipue custodum robore ac fide licuit, qui quidem sua omnium fere internecione id Pontifici perfugium compararunt. Nec minus illud

Digitized by Google

praedicandum, navali pugna ad Echinadas subductam ex hoc numero perexiguam manum tam se fortiter gessisse, ut bis a Turcis vexilla abstulerit. Ceterum praeter validam in acie firmitatem, immotam etiam in omni fortunae varietate constantiam fidei Romano Pontifici semper hi probarunt: quae ipsorum laus vel recentiori memoria, patrum et nostra, Decessoribus nominatim Piis VI, VII, et IX, turbulenta devexatis vi hominum ac temporum, praeclare constitit. Haec Nos reputantes promerita, quae profecto qui Nobis hodie adstant Helvetii tamquam receptam a maioribus haereditatem non modo servant, sed impigre officii religione atque obsequio cumulant, saeculares hasce augere laetitias Pontificia auctoritate volumus, ita quidem ut perenne aliquod extet benevolentiae Nostrae monumentum. Quare tundi ex argento numisma iubemus, cuius in adversa fronte effigies Nostra exprimatur, in aversa autem inter laureas frondes bina effingantur coniuncta stemmata Iulii II et Nostrum, eisque tiara sacris cum clavibus immineat, hac circum inscriptione MDV HELVETIORVM COHORTI MCMV PRO FIDE AC VIRTVTE. Quod numisma serico aptum lemnisco crocei coloris albo marginati honoris causa gestandum in pectore singulis attribuimus, qui nunc in Helvetica Nostra Cohorte merent, item emeritis, qui gradum in ea decurianatu maiorem obtinuerunt, item si qui ex emeritis ceteris per celebriores dies addere sese Cohorti consueverint. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Ianuarii MCMVI Pontificatus Nostri anno tertio.

A. Card. MACCHI

Digitized by Google

EPISTOLA

AVGVSTO SERENISSIMOQVE PRINCIPI
GVLIELMO
IMPERATORI GERMANIAE
REGI BORVSSIAE

PIVS PP. X

SERENISSIME AC POTENTISSIME IMPERATOR SALVTEM.

Humanitatem Maiestatis Tuae multis nobis testatam argumentis, novo nuper splendidoque munere confirmatam vidimus. Volumen alterum intelligimus ad Xistinae Cellae picturas illustrandas editum, adiectasque tabulas, quibus picturae eaedem, arte maxima ac fidelissima, vel referuntur, vel etiam coloribus exprimuntur. Equidem ad ceteras laudes quibus Maiestas Tua apud omnes floret, ea quoque merito adiicienda est, quod bonarum artium aestimator eximius et amator, illas imperatoria magnificentia sapientissimoque cultu provehas foveasque. Delatum porro Tuo nomine volumen, magni profecto pretii summique artificii, dum versabamus, illud etiam gratulandum magnopere occurrebat quod Maiestatis Tuae studium cum Romanorum Pontificum studio coniungi pulcherrime videbamus. Quod enim Decessores Nostri ad Aedium Vaticanarum splendorem fieri cura-

Digitized by Google

verunt, id Tu ad utilitatem omnium gentium publicari magnifice voluisti. Maximas igitur Maiestati Tuae agimus gratias, Tibique in extentum aevum fausta omnia optantes, Deum rogamus ut Te perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Ianuarii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
IN HODIERNO IMPERIO GERMANICO VNIVERSO
LEGI CAPITIS *TAMETSI* CONCILII TRIDENTINI
VIS INDITVR

—

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina [1] clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii

[1] Sess. XXIV, cap. I, *de Ref. Matr.*

Digitized by Google

caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus, huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens, praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. – In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per

Digitized by Google

expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. – Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clan-

Digitized by Google

destinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. – Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. – Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII Ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
EMMANVELI ARCHIEPISCOPO LIMANO
LIMAM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nuntium sane gratum dilectus Filius Michaël Rua, magister maximus Sodalium Salesianorum, Nobis attulit, in martium mensem proximum ob saecularem memoriam Sancti Turibii, de America vestra divinitus meriti, adiutores seu *Cooperatores* Salesianos istius reipublicae universos Limam conventuros. Rogabat autem, ut sollemnem eum conventum aliquo voluntatis Nostrae testimonio ornare vellemus, atque etiam, bene precando, auspicatiorem facere. Nos vero, quum probe habeamus compertum, quam utilem Religioni operam homines navent, qui Ioannis Bosco alumnos eorumque labores adiuvant, perlibentes induximus animum roganti annuere. Quare hoc tibi, Venerabilis Frater, mandamus officii, ut in primo ipso Cooperatorum coetu, significes, et Nobis cordi esse ipsorum institutum, et valde Nos cupere ut eorumdem in dies diligentia numerusque crescat, et spe teneri bona,

Digitized by Google

conventum istum admodum fore, Dei beneficio, frugiferum. Cuius auspicem rei, ac testem benevolentiae Nostrae, tibi habeas, ad eosque perferas Benedictionem Apostolicam, quam quidem iam nunc peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Ianuarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ARCHIDIOECESIS TYRENSIS SYDONIENSIS IN DVAS DIVIDITVR

PIVS PP. X

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Supremi Apostolatus munus Nobis divinitus commissum postulat, ut ea sedulo studio praestemus, quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, atque in catholici nominis incrementum bene, prospere, ac feliciter eveniant. Iamvero Archiepiscopi Dioeceseos Tyrensis et Sydoniensis Petrus Bostani eiusque successor Paulus Basbus iamdiu pastoralibus praesertim peregrinationibus exploratum habuerunt se bono ipsius Archidioeceseos, quae a medio circiter Libano ad Palaestinam usque pertingit, ob eius vastitatem difficile consulere posse. Nam ingens eiusdem amplitudo princeps causa est ex qua innumera religioni Catholicae eveniant detrimenta exitialesque errores, opera praesertim Protestantium, in populum maroniticum propagentur, quibus vel arcendis vel extirpandis unius tantum Pastoris sollicitudinem haud satis valere experientia compertum est. Itaque animarum periculis commoti, Archiepiscopi, quos paulo ante memoravimus, negotium de dividenda Archidioecesi ac de

Digitized by Google

nova erigenda ad Venerabilem Fratrem Maronitarum Patriarcham detulerunt, qui exceptis caeterorum Episcoporum votis, collatisque consiliis cum Apostolico Syriae Delegato, enixe Nos flagitavit, ut quod erat in votis cleri populique Maronitarum id Nostra Actoritate benigne efficere vellemus. Nos autem, omnibus rei momentis mature perpensis cum DD. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis praepositis, hoc potissimum in christiani populi bonum ac spirituale emolumentum cessurum rati, precibus huiusmodi annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium vi Dioecesim Tyrensem et Sydoniensem in duas dividimus, Sydoniensem scilicet, ab actuali Archiepiscopo Paulo Basbus retinendam, alteram autem a civitate Tyro Tyrensem nuncupandam et pastoralibus alterius Episcopi curis committendam. Confinia noviter sic constitutae Tyrensis Maronitarum dioeceseos ita reguntur: ad occasum habeat mare internum sive Mediterraneum; ad aquilonem flumen vulgo dictum Al-zahrani, quod in mare internum influit prope Sydonem urbem, ita ut in Dioecesi Tyrensi includantur districtus et loca nuncupata Gebel-el-Rihan, Nabatié et Bilad-el-Scehif; ad orientem Iordanum flumen a lacu Huly usque ad mare Mortuum; ad meridiem Palaestinae fines, qui

Digitized by Google

eam ab Arabia separant. Decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque omnibus, etiam speciali atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI Ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. CARD. MACCHI

2

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPH TIT. S. MARIAE ANGELORVM IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIVM

VINDOBONAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quem catholici ex Austria viri celebrarunt, brevi ante tempore, sollemnem frequentia et gravitate conventum, multos certum est, eosque vere fecundos attulisse rei catholicae fructus, in quibus illum prae ceteris salubrem ac diutius expetitum, qui e consociatis coniunctisque viribus progressurae actioni catholicae paratur. Unum tamen est, unde quotquot alunt christianum intime sensum, non minorem, quam ex animorum conciliata concordia, capiant laetitiam oportet, eam praesertim si praecipiant mente utilitatem, quae, si non proxima ad experiendum adest, erit certe, supra quam dici potest, profutura in posterum. Consilio nimirum vestro delectentur opus est, in memorata congressione inito, obsistendi, bonarum ephemeridum ope, pervaganti usquequaque

Digitized by Google

malorum diariorum veneno. Quam quidem ad rem sodalitatem scimus constitutam a vobis, quae a S. Pio V *Piusverein* nuncupetur, habeatque illud propositum sibi, diaria et ephemeridas omne genus, tum in omni Austria, tum maxime Vindobonae edere, ad religionis normam spiritumque informata. Commodum ista etiam in caussa agnoscimus e decreta vobis consensione latum, quam quidem consensionem pari animi vi et Nos commendandam et vos amplectendam in Vindobonensi coetu existimavimus. Quanti Nos praestantissimae utilitatis rem faciamus, pluries verbis, pluries etiam scriptis aperuimus, Leonis XIII f. r., Decessoris, secuti studiose exemplum, qui, in tam fructuoso Pontificatus cursu nihil impensiore censuit sollicitudine commendandum, quam ut scripta scriptis, in publica recti et pravi dimicatione, opponerentur. Est enimvero illud nostrae aetatis ingenium ut, qui ratione sua cogitandi et agendi cupiant imbuere multitudinem, praesidio utantur potissimum isto, commentarios librosque disseminandi in vulgus suasque fere inserendi opiniones in mente legentium: norunt enim usuvenire per hanc viam ut, qui legit, suum sensim intellectum subdat dominatui ephemeridum. Pronum inde est intelligere id quod dolenter agnoscitis ipsi, huiusmodi derivari ex caussa luctuosissimam perniciem tum in mentes tum in animos ab osoribus fidei catholicae illatam, optimis obnitentibus saepe perperam, quod scilicet aetatis huius indoles non esset ipsis perspecta semper, nec paria huc usque arma tractarent. Huius igitur pervadentis publice privatimque calamitatis omni studio cohibenda et propulsanda est vis: quod quidem si debet in omni gente et natione quaeri, multo tamen magis curandum vestratibus

Digitized by Google

est, penes quos angustioribus finibus, quam apud ceteras catholicas gentes, commentariorum catholici nominis emissio et lectio constringitur. Quapropter catholico Vindobonensi congressui non immerito gratulamur, quod iniecerit Nobis spem, pro virtute et gravitate eius certam, repellendi et resarciendi damni, atque etiam ampli et uberis comparandi Austriae profectus. Non equidem latet Nos, multa posse praecellenti rei obstare; quod tamen nunquam adimat catholico viro animum. Ad vos vero quod attinet, quae erant assequendae rei metuenda impedimenta magis, ea sunt praerepta feliciter; nam prosper congressionis exitus hinc iubet plene confidere dissensiones opinionum, civilium partium studium aut nationis discrimina non fore dissipatura vires nec interceptura opus; inde vero virtus fidelitasque Episcoporum securum animum Nostrum efficiunt non defuturos sapientes ac necessarios operi duces. Utrumque vehementer cupimus; utrumque pro defensione et incremento catholici gregis optamus, nihil simul ambigentes, quin clariores loco fortunisque fideles honori sibi atque officio vertant sodalitatem iuvare tam nobilem, studiumque fidei catholicae, cuius tam varia benefacta persentiunt, honestissima munificentiae laude cumulare. Sed Nostra haec spes et adhortatio non Episcopos modo aut praestantiores fideles spectat, verum etiam catholicam omnem Austriam attingit; malis adhuc ephemeridum lacerata scriptis, sane quanto cum desiderio tota debet in praesens e Piana sodalitate quaerere salutem. Detrimentis tantis e pravarum lectione ephemeridum insidentibus, tam multaque ex adverso per commentarios bonos praebita utilitate, grave omnes officium tenet tum ab ini-

Digitized by Google

micis abstinendi diariis, tum catholicis succurrendi, nomen maxime dando, opemque, pro sua quisque facultate, ferendo. Illud interim Nobis solatio maximo est, bonam meritamque posse de natione vestra expectationem fovere: habemus enim pro certo, ibi publicam incolumitatem iri expergefactum, ibique non defuturam omnino victoriam, ubi nec antiquum robur militum iacet, nec virtus et prudentia ducum, tua nimirum aliorumque Praesulum, minore praestantia perseverat. Quo vero liberalius caelestium donorum thesauri nationi vestrae reserentur, auspicem gratiae divinae, testemque praecipuae dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem quum Pianae Sodalitati, tum iis universis, qui eidem re et gratia favebunt, Tibi vero in primis ac ceteris Austriae Pastoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII mensis Ianuarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

AVGVSTINO EPISCOPO S. GALLI

S. GALLVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Novum Beati Alberti Magni Collegium, Sodalitatis a S. Pio V curis, exstructum perfectumque Friburgi esse, magna consolatione animi accepimus. Auctus enim aetate hac nostra est disciplinarum omnium cultus et prolata vis; nemoque propterea rectus aestimator temporum oportere non intelligat institutionem adolescentium foveri quotidie magis, ac novis praesidiis fulciri. Id quidem, si ad omnium ordinum consociationis humanae commodum accurare necesse est, at maiore certe enitendum est studio pro sacri incremento ordinis. Quamobrem tibi collegisque in Episcopatu tuis, de profectu religioso populi ac de amplificando catholici nominis decore valde sollicitis, itemque laudatae Sodalitati gratulamur, quod nova istic pateat incumbentibus in studia clericis domus, ad omnem recentioris humanitatis sanaeque doctrinae progressionem informata. Nec minus gratum est, invitari ad

Digitized by Google

celebrandas Athenaei scholas non vestrarum modo dioecesum iuvenes, sed etiam exterarum; id quod, in Helvetiis, plane pulcreque congruit cum tradita a maioribus consuetudine hospitii, cum christianaeque libertatis sensu, unde eorum, qui rempublicam civitatemque administrant, instructi animi sunt. Est autem memoratu heic iucundum, voluisse Nos theologiae in Collegio studia a sodalibus Dominicanis tradi, qui honestissimas scientiae, in primis sacrae, consecuti laudes, securitatem iniiciunt magisterii, habentque domesticum in theologia lumen, divum Thomam Aquinatem, quem non principem solum, sed scholarum sacrarum ducem magistrumque et Leo XIII, Decessor, iussit esse, et Nos, cum uberrimi certitudine emolumenti, confirmavimus. Nullum ad haec dubium esse potest, cordi futurum tibi laudatisque Pastoribus, doctrinarum tam bene sollicitis, simul pietati enutriendae adolescentium sedulam dare operam; quippe non prodest in sacro clero sine pietate scientia; prodest autem et nullam reperit meliorem sui ad lucrandas animas artem, si comitem habeat religionem.

Testem benevolentiae Nostrae, divinorumque munerum auspicem, Apostolicam Benedictionem tibi, Episcopis Helvetiae singulis ac Pianae Sodalitati peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VI mensis Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA ENCYCLICA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

FRANCISCO MARIAE S. R. E. PRESB. CARD. RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

VICTORI LVCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI

PETRO HECTORI S. R. E. PRESB. CARD. COVLLIÉ
ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI

IOSEPH GVILELMO S. R. E. PRESB. CARD. LABOVRÉ
ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI

CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
ATQVE VNIVERSO CLERO ET POPVLO GALLIAE

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vehementer Nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causâ, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen

Digitized by Google

nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres; quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quantum in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in

Digitized by Google

Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo, retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat, expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiae tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamanto, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo

dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae, et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quaedam, ait, intercedat necesse est « ordinata colligatio, quae quidem coniunctioni non immerito « comparatur, per quam anima et corpus in homine copu« lantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, citra scelus, « gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam « religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere..... « Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione « vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescen-

Digitized by Google

« tium, a societate domestica, magnus et perniciosus est « error » [1].

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apostolica « Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, arctiorem « esse vetustioremque, quam ut unquam audeat dissolvere, « Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestissima « decora profecta..... Hanc velle turbari necessitudinem idem « foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gal« licae in populis non parum detrahi » [2].

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure,

[1] Epist. Enc. *Immortale Dei* data die I Nov. an. MDCCCLXXXV.

[2] In alloc. ad peregr. Gallos hab. die XIII Apr. an. MDCCCLXXXVIII.

Digitized by Google

ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactiodem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae

Digitized by Google

quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animorum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum [1], id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate [2]. Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierar-

[1] Ephes. IV, 11 seqq.

[2] Matth. XXVIII, 18-20; XVI, 18-19; XVIII, 17; Tit. II, 15; II. Cor. X, 6; XIII, 10, et alibi.

Digitized by Google

chiae gradibus collocati sunt, et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, « cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi hono« rem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio « loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc. « Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordi« natio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos « constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepo« sitos gubernetur »; idque ait « divina lege fundatum » [1]. Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causâ. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus reli-

[1] S. Cypr. Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. 1.

Digitized by Google

giosi, cuius exercendi gratiâ instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur; ipsum coërcetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam Civitas non comprimendâ solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque

Digitized by Google

definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, in christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecuniâ in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentiae institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus san-

Digitized by Google

ctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratiâ; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium, quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus haereditatem, quum avitae

Digitized by Google

religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas; quod maxima afficit iniuriâ Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nullâ hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis

Digitized by Google

universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae ab hac lege dilectae nationi impendent; maximeque commovemur miseriis, aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam Iesus Christus ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiae causâ. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humanâ maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis* [1], pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur.

[1] Rom. XIII, 12.

Digitized by Google

In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. — Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester: quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, « *gaudentes..., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* » [1]. Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate

[1] Act. v, 41.

Digitized by Google

remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina; ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

Digitized by Google

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante Maria Immaculata, in tranquillum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xi Februarii anno mdcccccvi, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO

VALERIANO GROFFIER

LVGDVNVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Duplici gratum nomine, quod scilicet et tuum testaretur ingenium cum singulari erga Nos humanitate ac pietate coniunctum, et illustria vindicaret merita expeditionum sacrarum, munus habuimus abs te, librum inscriptum « Héros trop oubliés de notre Epopée coloniale ». Multa tuo in opere nitent; in primis ardens divinae gloriae desiderium; tum praevalidus religionis amor; honestissimus denique patriae tuae cultus. At non omnium putamus eam esse laudem postremam, quod opportuna prae ceteris tempestate liber proponatur in vulgus. Expedit Galliae, expedit non catholicis modo viris, sed iis praesertim, qui, avitae immemores fidei, inimica Ecclesiam voluntate intuentur, attente animum advertere ad fortissimos illos, quorum patienti incensoque studio nomen Christi profertur et patriae gloria diffunditur. Praeterire et premere silentio illos, tam multa quaerentes religioso

Digitized by Google

et civili cultui benefacta, perinde est a comitate atque ab aequitate alienum ac eos appetere contumeliis. Tui propterea memores sumus, cuius labore factum est ut in lumine atque in aestimatione, per istam potissimum aetatem, efficacitas collocaretur expeditionum sacrarum. Votum autem nuncupamus intimum, velint omnes, tui adiumento operis, agnoscere sacrorum heroum virtutem, ecclesiae et patriae, quam quae maxime, beneficam, velintque, si ab ingrati animi crimine cupiant abesse, reverentia eos et honore, pro meritis, afficere. Nostram vero erga te ut benevolentiam testemur, auspicem caelestium donorum Apostolicam Benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII mensis Februarii, anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
VICTORIANO EPISCOPO MATRITENSIUM
VALENTINORVM ARCHIEPISCOPO PRAECONIZATO
MATRITVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter catholicos Hispaniae concertationes quasdam novimus esse ortas, quae veteres partium discordias haud parum, postremis hisce mensibus, acuerunt. Concertationum autem occasio studiose quaesita est ex binis scriptionibus, quae in commentario *Razón y Fe* prodierunt de officio catholicorum adeundi comitia ad eligendos qui publicam rem administrent deque ratione in competentium electionibus habenda.

Equidem scriptiones hasce cognosci ambas voluimus, nihilque in illis occurrit, quod non a plerisque nunc de re morum doctoribus tradatur, Ecclesia non damnante nec contradicente. Nulla igitur subest ratio cur animi adeo exardescant: quamobrem optamus ac volumus ut orti dissensus diuque nimium nutriti penitus tollantur. — Quod profecto eo vel magis desideramus, quod si alias unquam, nunc certe maxima opus est catholicorum concordia.

Digitized by Google

Meminerint omnes, periclitante religione aut republica, nemini licere esse otioso. Iamvero qui rem seu sacram seu civilem evertere nituntur eo maxime spectant ut, si detur, capessant rem pubblicam legibusque ferendis designentur. Catholicos idcirco periculum omni industria cavere oportet; atque ideo, partium studiis depositis, pro incolumitate religionis et patriae operari strenue; illud praecipue adnitendo ut tum civitatum tum regni comitia illi adeant, qui attentis electionis uniuscuiusque adiunctis necnon temporum locorumque circumstantiis, prout in memorati commentarii scriptionibus probe consulitur, religionis ac patriae utilitatibus in publica re gerenda prospecturi melius videantur.

Haec te, Venerabilis Frater, haec ceteros Hispaniae Episcopos monere populum atque hortari cupimus atque eiusmodi inter catholicos concertationes in posterum cohibere prudenter.

Auspicem vero divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem universis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE XXI FEBRVARII ANNO MDCCCCVI

VENERABILES FRATRES,

Gravissimum apostolici muneris officium impleturi, vos hodierno die ad Nos convocandos censuimus. — Multa profecto acerba aeque atque iniusta, per calamitosissimam hanc tempestatem, Ecclesiae quotidie inferuntur ac Nobis, qui, quantumvis immeriti, illius regimen, Christi vice, tenemus. At memores tamen eiusdem Christi patientiae, certisque illius promissis tuti, adversa quaeque miti animo tolerare nitimur, ut sicut ille ambulavit et Nos ambulemus in spe gloriae filiorum Dei. — Sed enim, tam grave atque vehemens Ecclesiae ac Nobis impositum nuperrime est vulnus, ut illud nequeamus silentio premere, nec, si velimus, nisi neglecto officio, liceret. Praecipitis plane, Venerabiles Fratres, de ea lege velle Nos loqui, iniuriae plena atque in perniciem catholici nominis excogitata, quae paullo ante de seiuganda civitate ab Ecclesia in Galliis sancita est. Equidem in encyclicis litteris, quas paucis ante diebus ad Galliarum Episcopos, Clerum ac populum dedimus, fusius iam ostendimus, quam ea invidiosa sit, ac Dei atque Ecclesiae infesta iuribus. Sed ne muneris apostolici quotamcumque praeteri-

Digitized by Google

visse partem videamur, propositum est ea quae ediximus, in amplissimo conspectu vestro strictim persequi, graviterque confirmare.

Enimvero quî eam non reprobare legem possimus, quam ipsa, quam praefert, inscriptio malitiae convincit ac damnat? Agitur, Venerabiles Fratres, de civitatis ab Ecclesia invehendo discidio. Lex igitur tota quanta est in aeterni summique Dei contemptu nititur, cum nullum deberi Illi a civitate honorem pietatis contendat. Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice. — Quae si quidem oblivio ac discessio iniuriose adversus divini Numinis maiestatem ubique fieret; in Galliis vero ingrate magis longeque perniciosius. Nam si veteres Gallorum laudes pro veritate quis aestimet, eas partem longe maximam ex religione profluxisse fatebitur atque ex perpetua, quae inde oriebatur, cum Sede hac Apostolica necessitudine.

Accedit, civitatis cum Ecclesia coniunctionem solemni in Galliis pactorum fide fuisse firmatam. At vero, quod nulli civitatum fere usuvenit, tametsi dignitatis perexiguae, id factum est cum Apostolica Sede, cuius tanta est in orbe auctoritas et amplitudo. Etenim pactio illa, solemnis adeo ac legitima, nullo servato urbanitatis officio, nullâ, quod tamen iure gentium cavetur atque in civilibus institutis est positum, nullâ, inquimus, solvendae conventionis significatione, unius tantum partis arbitrio, violata fidei religione, rescissa est.

Nunc autem si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labe-

Digitized by Google

factari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum nulla in ea Romani Pontificis, nulla Episcoporum incidit mentio: e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructas iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non Episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno *Status Consilio* cognoscenda est ac dirimenda.

Quid insuper, hac lege lata, de libertate Ecclesiae censendum sit, Venerabiles Fratres, in memoratis encyclicis litteris uberius exposuimus. Heic autem ut pressius dicamus: prohibentur, ex parte altera, Antistites sacrorum christianum populum pro plena muneris potestate regere; ex altera, christiano populo profitendae libere, uti debet, religionis suae sanctissimum ius adimitur: actio vero Ecclesiae in hominum consociationem multiplici ex capite debilitatur aut omnino intercipitur.

Quae profecto violatio iurium ac libertatis diminutio postremam inde accessionem habet non levem quod, uno legis imperio, frustra reclamante iustitia, frustra obsistente pactorum fide, Ecclesia de patrimonii sui legitima possessione deturbatur. Respublica vero omni solvitur officio annuos suppeditandi religionis sumptus, quos pacto convento, ad sarciendam publicae direptionis iniuriam, suppeditandos susceperat.

His igitur vobiscum pro gravitate rei communicatis, apostolici memores officii, quo sanctissima Ecclesiae iura tutari omni ope ac propugnare tenemur, sententiam Nostram de lege hac, in amplissimo etiam coetu vestro, solemniter proferimus. Eam videlicet, suprema auctoritate qua Christi vice

Digitized by Google

fungimur, uti Deo optimo maximo iniuriosam, divinae constitutioni Ecclesiae infestam, schismati faventem, Nostrae ac legitimorum pastorum auctoritati adversam, bonorum Ecclesiae direptricem, iuri gentium oppositam, Nobis et Apostolicae Sedi invidiosam, Episcopis, clero et catholicis Galliarum universis infensissimam, damnamus et reprobamus; simulque edicimus et declaramus, eamdem legem nunquam nulloque in eventu adversus perpetua Ecclesiae iura esse valituram.

Nunc vero ad catholicam Gallorum gentem patet cor Nostrum: cum afflicta affligimur, cum flente flemus. Nullus esto, qui, quod tam acerbe simus habiti, caritatem Nostram erga illos deferbuisse putet. Religiosorum familias, suis extorres aedibus et patriâ, sollicite cogitamus: adolescentium agmina, christianam institutionem desiderantia, paterna trepidatione prosequimur: Episcopos fratres Nostros et clerum omnem in tribulatione positos et graviora metuentes, in oculis ferimus: fideles ea lege oppressos diligimus: universos denique paterno amantissimoque corde complectimur. Praeclara, per aetates omnes, Galliarum in Religionem sanctissimam merita nullorum audacia ac nequitia obliterabit unquam: spes autem est, mitescente tempore, praeclariora fore. — Interea filios dilectissimos vehementissime hortamur ne, per asperitates et angustias rerum, fracto demissove sint animo. Vigilent, stent in fide, viriliter agant, maiorum sententiae memores: *Christus amat Francos.* Aderit illis semper Apostolica haec Sedes, quae primigenam Ecclesiae filiam providentiam caritatemque suam desiderare nunquam permittet.

Digitized by Google

LETTERA

AL SIGNOR CARDINALE ANDREA FERRARI ARCIVESCOVO DI MILANO

Signor Cardinale,

Le siamo grati, Signor Cardinale, dei sentimenti espressi nella lettera che Ella ci ha diretta insieme coi Vescovi raccolti a Milano per la preparazione degli atti del Concilio Provinciale. Nella grande commozione pei mali, che sovrastano ai cattolici della Francia, Ci sentiamo confortati al pensiero, che alla Nostra voce Apostolica fanno eco i Pastori delle anime e si uniscono in tal modo a Noi, che non potendo accompagnare personalmente quei generosi fedeli disposti a grandi sacrifizi, abbiamo dato loro una prova del Nostro particolare affetto, invocando sui novelli loro Vescovi i divini carismi.

Siamo poi vivamente riconoscenti a Lei, Signor Cardinale, ed ai venerandi Fratelli per la parte presa all'acerbo dolore, ond'è pieno l'animo Nostro, per una recente pubblicazione intorno ai rapporti fra la Chiesa e gli Stati: pubblicazione veramente deplorevole in sè e per le luttuose circostanze nelle quali si è fatta: più deplorevole ancora per le tristi conseguenze, da Lei, Signor Cardinale, e dai suoi Colleghi con profondo rammarico lamentate nella citata lettera, come pure hanno fatto non pochi altri Vescovi italiani;

Digitized by Google

vogliamo dire pel danno gravissimo che ne deriva in mezzo alla grande moltitudine di coloro che, tratti dalle opinioni del moderno liberalismo e alieni da distinzioni e da sottigliezze, guardano unicamente alla fonte, creduta talora autorevole, donde emanano certi scritti, e bevono poscia, col concorso di una stampa perversa, il veleno micidiale di certe massime che non potranno essere mai dalla Chiesa accettate.

Del resto, vegliando Noi solleciti su quanto riguarda la retta dottrina e la disciplina ecclesiastica, tanto Ella, Signor Cardinale, come gli altri egregi Pastori possono essere sicuri che non verranno meno anche in questa circostanza le cure dell'apostolica Nostra provvidenza.

Intanto con effusione di cuore impartiamo a Lei, Signor Cardinale, e ai Vescovi con Lei adunati per preparare gli atti del Concilio Provinciale, l'Apostolica Benedizione.

Roma, 27 Febbraio 1906.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LETTERA

A SVA MAESTÀ CATTOLICA ALFONSO XIII

RE DI SPAGNA

Diletto Figlio Nostro,

La lettera confidenziale di Vostra Maestà, rimessami in questi giorni dal suo Ambasciatore, per parteciparmi il suo futuro matrimonio con S. A. R. la Principessa Vittoria Eugenia di Battenberg, e che così nobilmente riflette i sentimenti cattolici e filialmente devoti di V. M. verso la Sede Apostolica, mi ha recato particolare letizia e consolazione. Benchè di questi stessi sentimenti, profondamente radicati nell'animo della Maestà Vostra, io abbia già avuto molte e non dubbie prove, nondimeno sono lietissimo di possederne un nuovo attestato in questa straordinaria circostanza. Il vedere poi che Vostra Maestà sente di potermi liberamente aprire l'animo suo, come figlio a padre, è per me anche di maggior conforto: ed io che per Vostra Maestà ho sempre avuto un affetto grandissimo e tutto paterno, godo di poterla assicurare che sempre ed in ogni occasione sono pronto a renderle servizio e ad aiutarla in tutte le vicende della vita.

Ho altresì rilevato con mio sommo piacere che Vostra Maestà dovendo contrarre matrimonio, abbia perfettamente compreso la gravità e l'importanza di un atto così vitale,

Digitized by Google

da cui dovrà dipendere la sua felicità, ed al quale va intimamente collegato il benessere della illustre Nazione Spagnuola. E poichè la Maestà Vostra non ha fissato la sua scelta sopra di una Principessa nata ed educata cattolica, ne consegue che la conversione della sua futura Consorte alla Religione Cattolica riveste una importanza capitale, che non può sfuggire a chicchessia, e che la Maestà Vostra dimostra nella sua lettera di avere bene ponderata.

Infatti Vostra Maestà mi fa sapere che la Reale Principessa di Battenberg nel volere abbracciare la vera fede, è mossa non dalle occasionali circostanze, ma da nobilissimi intendimenti e da sincera volontà, assicurandomi inoltre che la conversione sarà certamente un fatto compiuto prima della domanda ufficiale del matrimonio. Tutto ciò fa sperare che la scelta fatta da Vostra Maestà sarà copiosamente benedetta da Dio e che incontrerà non solo l'applauso dei sudditi cattolici di Vostra Maestà, dei quali saranno soddisfatti i più cari sentimenti religiosi, ma ancora il favore di tutti i cattolici del mondo, che sentono concordemente per il Re Cattolico un interesse speciale.

Vivamente mi rallegro inoltre nel sapere che l'Augusta Regina Madre ha accolto con soddisfazione la scelta di Vostra Maestà. Auguro che il prossimo matrimonio del Figlio sia largo di grandi consolazioni al cuore materno della piissima Donna, che può meritamente vantarsi di avere dato alla Spagna un sovrano veramente cattolico, e che col sapiente governo, coi luminosi e costanti esempi ha compiuto un'opera sommamente benefica alla Nazione ed alla Chiesa, e meritevole quindi della generale ammirazione dell' Europa.

Digitized by Google

Formo intanto voti fervidissimi per la unione coniugale della Maestà Vostra, sopra la quale invoco dal Signore speciale assistenza e protezione, augurando che il matrimonio di V. M. segni non solamente un giorno di felicità e di gioia per la Persona e Famiglia di V. M. e per i fedeli suoi sudditi, ma sia il preludio sicuro di una lunghissima serie di anni di prosperità domestica e nazionale.

Benedico infine con effusione di animo i buoni propositi della giovane Principessa e fin da ora prego il Signore di concederle in abbondanza i suoi lumi e le più elette sue grazie, in modo che possa degnamente condividere con Vostra Maestà il vetusto e glorioso trono di San Ferdinando. Anche alla Maestà Vostra, rinnovandole l'espressione della mia speciale benevolenza, invio con affetto la mia paterna Benedizione Apostolica, col voto che questa le sia feconda di ogni prosperità e della costante perseveranza nelle sante disposizioni, da cui la Maestà Vostra è sinceramente animata.

Roma, 28 Febbraio 1906.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIVM

BALTIMORAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum centum ante annos primus Baltimorensium Archiepiscopus primum statuebat lapidem sedi isti cathedrali aedificandae, lapidem enimvero collocasse dicendus est, quo super, in fastigium et in gloriam, deberet America sacra consurgere. Nam sive ad efflorescentem eorum propaginem intendamus animum, qui aucti sacerdotio sunt aut episcopi consecrati, sive coacta apud vos ad haec usque tempora concilia cogitemus, sive habita istic splendidissima quaeque sollemnia recolamus, haec videmus omnia in Cathedrali Baltimorensi templo nativum quasi locum fortunate reperisse. Fortunate, dicimus, et cum omine meliorum quotidie rerum; quarum quidem argumento sunt et prolata apud gentem vestram hierarchia, et auctus catholicorum numerus, et tran-

Digitized by Google

quilla religionis conditio, et firma cum Romana Sede necessitudo, et solatia omne genus, quae praebita cordi Nostro virtutibus vestris fuere. Quapropter plurima dignum commendatione consilium arbitramur agendi communibus laetitiis auspicatam praeclari facinoris memoriam. Harum vero celebritatum non equidem opus est enarrare quam libenti Nos animo et quantis cum votis partem capiamus. Nostis enim omnes, quaecumque maxime valerent ad decus Religionis Nostrae in Americano populo provehendum, ea Nos et praecipuo semper desiderio quaesiisse, et velle nunc eodem ardenti studio complecti. Complectimur autem idcirco cupidius, quia compertum exploratumque habemus responsuros fore vos invitationi Nostrae una et eâdem consensione voluntatum, si per opportunam hanc iucundamque tempestatem, eiusmodi impulsi sacrorum progressuum memoria, cohortemur Americanum populum ad maiora etiam, quam usque adhuc, comparanda rei catholicae incrementa. Id quidem instantissime facimus, eo vel magis quod non modo ad amplificandam religionem, sed ad exaugenda etiam rei civilis commoda sciamus verba Nostra debere conducere. Vobis propterea universis, de sacris patrum memoriis ac de fidei illustranda gloria sollicitis, intimo ex corde gratulamur, laudemque, vere meritam, et pro studio, unde laetitias publicas paratis, et pro eo, qui inde elucet, habitu animorum, tribuimus. Tali sane animo vos esse demonstratis, qualem in catholicis omnibus valde desideremus: tali nimirum, qui firmam fecundamque contineat futuri temporis spem. Pro vestrarum felicitate ecclesiarum, itemque pro sollemnium saecularium exitu lectissima nuncupamus vota, auspicemque caelestium munerum ac testem

Digitized by Google

praegrandis dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem tibi, Episcopis, clero universoque populo Americae Septentrionalis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II mensis Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO

CAROLO LAVCHOROSKI BRZEZIC

VINDOBONAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quas tum e nobilitate generis, tum ex eruditione et eloquentia, tum maxime ex amore catholici nominis praestantique in miseros largitate laudes apud omnes es consequutus, iis non exigua facta est accessio ex editione voluminis, quod, collatis quoque studiis ab Georgio Niemann et Henrico Swoboda viris eruditissimis, de patriarchali Aquileiensi templo in lucem protulisti. Oblatum voluminis exemplar, novum tuae fidei in Apostolicam sedem testimonium, quam libentissime accepimus. Inque eo, etsi editionis ditissimam elegantiam magnopere laudavimus, eruditionis tamen copiam, cui comparandae totum decennii spatium est impensum, imprimis mirati sumus; quamobrem librum egregium, postquam studiose Ipsi versavimus, dignum habuimus quem Bibliothecae Nostrae Apostolicae asservandum destinaremus. Ad Te vero, Dilecte Fili, adeant gratulationes Nostrae et

Digitized by Google

ad egregios homines, qui operam tecum contulerint. Universis autem sit benevolentiae Nostrae pignus atque ad praeclara porro agenda incitamentum Apostolica Benedictio, quam auspicem divinorum munerum effuso corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIV Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

RELIGIOSIS VIRIS VNIVERSIS
DOCTRINAE PERICVLVM CORAM EPISCOPO FACIENDVM
PRAESCRIBITVR
ANTEQVAM AD SACROS ORDINES PROMOVEANTVR

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praeterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die IV Novembris MDCCCXCII, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, « tum votorum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros « Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Iure statuta, « testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum « sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaco-

Digitized by Google

« natu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad « presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regu- « lari aliorum studiorum curriculo ». Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII Cap. VII de Reform. haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctri- « nam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de Regularibus eiusd. Sess. Cap. XII: « Regulares non sine « diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibus- « cumque quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die XVI mensis Iulii Motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque

Digitized by Google

contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu-proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordinem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii anno millesimo noningentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILI DEI FAMVLAE IVLIAE BILLIART
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod Ioannes vidit in monte Sion Virginum agmen sequi quocumque ivisset Agnum qui inter lilia pascitur, et suavissimum audivit edere canticum, quod nemo poterat dicere, luculenter demonstrat quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas, ea nimirum vivendi ratio, angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Et sane providentissimus Deus, qui investigabili sapientiae suae consilio, infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat, sanctas saepe foeminas, quae mundi illecebris posthabitis, sese totas caelesti Sponso manciparunt, ad magna et praeclara facinora peragenda excitat, et nefariis ausibus hominum profligatorum divina et humana omnia permiscentium muliebres vires opponit. Ex agmine enim Virginum, quae sequuntur Agnum, aliae intra claustra umbratilem et solitariam vitam ducentes, quasi hostiae voluntariae, precibus, ieiuniis et continenti vitae ratione illatas Deo iniurias expiare ac divinam

Digitized by Google

iustitiam compescere student; aliae contra, actuosam in assidua bonorum operum exercitatione aetatem agentes, in nosocomiis, in hospitiis, in scholis et in militaribus quoque castris, sollicitae Marthae ministeria sortitae, in proximorum emolumentum, industria christianae caritatis, studio incumbunt. Has inter, admirando non minus quam iucundo spectaculo anxiis bonorum animis de sorte iuventutis utriusque sexus, tot obnoxiae periculis, ex impiorum hominum diuturno molimine, lectissimae illae sunt foeminae quae virginum animis, ceu teneris virgultis excolendis, et ad solidam pietatem doctrinamque informandis, quasi positae custodes in vineis, animum adiecerunt, iuxta illud Ecclesiastici (XXIV, 42): *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Hanc illustrem in aciem iure enumeranda est Venerabilis Dei Famula Iulia Billiart, saeculo XVIII Gallici coeli lucidum sidus, optime de christiana republica per puellarum institutionem merita, et Mater legifera Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis. In veteris Picardiae oppidulo, cui vulgo nomen *Cuvilly*, dioecesis Bellovacensis intra fines nata et lustralibus aquis abluta est die XII mensis Iulii anno MDCCLI et Mariae Rosae Iuliae nomina infantulae sunt indita. Parentes tenuis conditionis habuit, qui agros colentes et exiguam mercaturam agentes victum sibi suisque quaeritabant. Vix tener animus sese explicuit, constat mirificam in puellula enituisse virtutis indolem, quae quotidie magis confirmata est cum ad eam accederet optima parentum disciplina, qui in Iuliam e natis dilectissimam, curas omnes suas diligenti studio ponebant, ut pia et laboris amans succresceret. Ea aetate, quae maxime solet ineptiis nugisque esse

Digitized by Google

dedita, nihil ipsa pueriliter fecisse dicitur, sed genitoribus ac magistris obsequens et domi ad modestiam composita, ut ne leviter quidem de ea parentes queri possent, curavit. In schola tam uberes brevi progressus fecit et doctrinae christianae praeceptis sic est erudita, ut puella septennis iam eadem in curiali templo aequalibus suis annuente parocho facile posset tradere. Videre erat Iuliam iam zelo illo accensam, quo per vitam integram exarsit, pueros et puellas natalis oppidi ultro ad se accire eosque christianae fidei rudimenta mira patientia docere. Qua morum innocentia primam aetatem duxerit, ex eo facile coniici potest, quod eidem novenni et iam maximo caelestis convivii desiderio flagranti concessum fuerit, ut Sacrae Mensae particeps fieret, idque secreto, ne ceterarum invidiam excitaret. Sic adolevit dulcis egregiaeque indolis puella, singulari illi christianarum virtutum excellentiae praeludens, quam postea fuit consequuta. Annum agens quartumdecimum aetatis suae, quo caelesti Sponso liberius deserviret, se voto castitatis obstrinxit. Interea coetibus et ludis etiam licitis abstinens, saepe in secretum domi seducta, divina mysteria meditabatur, et quotidie domesticis negotiis studiose absolutis, subsecivum tempus in Ecclesia devote ante Sanctissimam Eucharistiam flexis genibus orans insumebat, quasi in caelestium rerum contemplatione defixa, Deum flagitaret ut novas sibi vires animumque adderet ad proximos tribulationis dies tolerandos. Crescentibus enim rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel agrestes labores aggredi non dubitavit, ingenti cum fructu colonorum, quos inter ipsa versabatur, haud minus operum socia, quam pietatis magistra. Saepe sub diu dum intermisso labore rece-

Digitized by Google

derent, illa rusticos homines ad divinas simul laudes concinendas compellabat. Nondum quintum aetatis lustrum compleverat, cum subito in ipso iuventutis flore, paralysi correpta in lectulo iacuit ubi duos ac viginti annos affixa mirae fortitudinis ac patientiae documentum extitit. Et saevos enim destinati morbi cruciatus aequo iugiter animo sustulit, et exemplo, precibus, consilio, adhortationibus nunquam iuvare proximos intermisit. Pueros et puellas circa lectulum assidentes catechesim docebat, saepe adultos homines, sed religionis praecepta non minus ignorantes, dulci eloquio ad eadem mandata servanda atque ad virtutis semitam terendam haud frustra hortabatur. Impetrata a parocho quotidianae Communionis venia, plures diei noctisque horas orationi dicabat, atque orans amore erga Deum ita inflammabatur, ut caelestis ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Sed brevi spirituale hoc etiam solatium Venerabilis Dei Famulae defuit. Nam ea tempestate in Galliis nefarie Rege interempto, summa rerum in manus profligatissimorum civium venit; hinc teterrima in bonos orta insectatio, praesertim in nobiles et ecclesiasticos viros, qui Deo Regique fideles, iuramentum reipublicae detrectabant. Pulso in exilium patrii oppiduli Parocho, Iulia quam iam sanctae vitae fama invisam christiani nominis hostibus dabat, non sine praesenti Dei auxilio mortem effugit. Clam elata, infirmis enim cruribus insistere nequibat, huc illuc saepe ad necem a factiosis hominibus quaesita, perfugit. Itinerum difficultate, caeli inclementia, morbi cruciatibus, et instantis mortis metu confecta, vix querulas edere voces poterat, donec fere semianimis Ambianum traducta, penes piam et nobilem foeminam

Digitized by Google

Comitissam de Boudoin securo tandem in asylo consedit. Hic futuri operis sociam Mariam Ludovicam Franciscam Blin, nobilitate generis non minus, quam virtutum ornamento praeclaram puellam repperit, quae lectulo Iuliae christianae charitatis spiritu adducta dum assideret, arctis se cum paupere infirma spiritualis et frugiferae amicitiae vinculis devinxit. Cum Venerabilis Dei Famula tot etiam ac tanta inter discrimina in apostolatu suo perseveraret, haec nobilis puella, accitis ad se quinque aliis sociis ad finem praecipuum tradendi infantibus catechesim, prima posuit religiosae familiae fundamenta, ipsa in domo quae infirmam Iuliam recipiebat; et eam, quae licet decumbens, precibus et consiliis inchoatum opus sospitabat, dulci ineuntis communitatis matris superiorissae nomine coepit compellare. Interea cum paullum civilis tumultus in Gallia resedisset, accidit ut Patres a Fide nuncupati sacrae Missionis causa, duce Patre Varin e Societate Iesu, Ambianum peterent. Hic auctor Venerabili Dei Famulae consilii fuit instituendae societatis ad christianam puellarum educationem; hoc adiutore atque auspice frugiferum opus continuo obediens aggressa est. Nam Iulia illis cum paucis, quas sibi adsciverat, sodalibus operam religiosis viris contulit saluberrimam de foeminis populi edocendis maxime sollicita, quarum nonnullae in tanta temporum tristitia rudimenta religionis ignorabant. Quo vero utilius commisso apostolico munere fungi posset, pater qui missionibus praeerat, nomine Enfantin, probe noscens quot uberes, si convaluisset Venerabilis Dei Serva in Dominico agro fructus perceptura foret, labente mense Maio anno MDCCCIV quasi divino spiritu afflatus, Iuliam ut noven-

Digitized by Google

diales Sacro Cordi Iesu preces funderet, flagitavit. Quinto earumdem die ipsam in viridario piae domus Ambianensis de more sedentem adit, ut ambulet iubet, et statim dicto audiens Iulia e sella surgens incedit. Sic viginti ac duos post annos divinitus propulsata paralysi, novissimo illius novendialis supplicationis die Venerabilis Dei Famula firmo procedens gressu, mirantibus omnibus adstantibus et Sororibus puellisque, quae dulcibus consolationis lacrymis temperare non poterant, solemnes in communitatis sacello pro recuperata valetudine Deo gratias agere potuit. Alacrior effecta, restitutas sibi vires omnes, quantum vita superfuit, in operis suscepti propagationem effudit. Primum Instituto regulas ipse pater Varin dedit; illique nomen factum est: *Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis.* Nec mora; Venerabilis Dei Famula mirandum in modum nullis laboribus parcens, asperrima per aestus per glacies itinera suscepit, et ea numquam fere intermisit, sive ut suae Congregationi nova domicilia excitaret, sive ut iam constitutis melius consuleret. Sed ardua pluribus obiectis impedimentis initia operis fuere; verum iam tot adversis rebus exercita planeque erudita Fundatrix, in Deo confisa numquam animo cecidit, sed sparso felici semine et aucto in dies postulantium et alumnarum numero, sollicitudinis constantiaeque condignum brevi praemium tulit. Et sane quamvis Venerabilis Dei Famula Galliam, ubi iam plures aperuerat domos, deserere, et in Belgium una cum Sororibus migrare coacta fuerit, maximos inibi, veluti uberi solo commissa arbor, Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis progressus nacta est. Florentes enim alumnarum frequentia domus pluribus

Digitized by Google

in Belgii civitatibus, magno cum civium plausu et annuentibus Episcopis, erectae sunt, praesertim Gandavii et Namurci, qua in urbe Fundatrix domum Congregationis principem collocavit. Ipse autem Decessor Noster Pius Papa VII dum apud Castrum Fontebellaqueum iniqua in custodia tenebatur, Iuliae ad sua genua provolutae spem bonam dederat, futurae per universum terrarum orbem propagationis tam frugiferi operis pro ecclesiae iuventutis et christianarum familiarum bono feliciter atque ex auspicato instituti. Ab anno MDCCCVII ad annum mortalis aevi supremum, septem in Belgio Venerabilis Dei Famula domos aperuit, quarum pio regimini atque etiam incolumitati, licet inter maximi belli discrimina, mira prudentia prospexit; ac verbo, epistolis, sanctaeque vitae potissimum exemplis, in humilitatis, paupertatis, orationis, charitatis et christianae perfectionis spiritu Instituti sui religiosas sorores confirmavit, ita ut vere suavissimae Sororum Beatae Mariae Virginis appellationi responderent, atque in puellarum institutione, meliori illo uterentur magisterio quod manat ab exemplo, sicut ait Paulus Apostolus: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* Verum tot pro gloria Dei, proximorum salute et Congregationis propagatione laboribus exantlatis simulque voluntariis cruciatibus extenuata adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores tres menses aequissimo animo perpessa Mariae Franciscae Blin, dulcissimae amicae et apostolatus sociae, quae Matris a Sancto Ioseph nomen in religione assumpserat et pro viribus in ministerio Fundatricem adiuverat, universae communitatis regimen concredidit, atque in obtutu Crucifixi Redemptoris haerens placidissimo exitu

Digitized by Google

obdormivit in Domino caelestes virginum choros tandem assequuta et Eius aspectu potita *in quem desiderant angeli prospicere* Namurci septimo idus Apriles anno MDCCCXVI aetatis suae sexagesimo quinto. Vita functae vultus nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses corruptionis expers repertum est. Quae autem viventem prosequuta est fama sanctitatis ea non defecit mortuam, sed viguit roborata miraculis quae per eius intercessionem a Deo patrata ferebantur. Religiosa autem communitas ab ea fundata, cui tot christianae familiae, temporibus difficillimis, optimam puellarum institutionem acceptam referre debent, haud se Namurci Belgiique finibus continuit, sed a Sancta Sede probata vel in remotissimas plagas brevi se effudit, et sic maternae sanctitatis odor longe lateque manavit. Quare collectis testimoniis, et iuridicis inquisitionibus rite persolutis penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa agi coepta est. Et cum Venerabilis Serva Dei adeo multiplici virtute floruerit, ut exempla eius proponi cuivis ferme vitae generi possint, modestiam enim et mansuetudinem cum fortitudine et constantia sociavit, cum urbanitatis officiis patientiam, cum sollicitudine regiminis poenitentiam, cum pietate charitatem, et cum assidua caelestium rerum contemplatione actuosam vitam, ipse Decessor Noster sanctae memoriae Leo Papa XIII in sollemni conventu in Vaticanis aedibus in sua praesentia habito plane recordatus est se quo tempore Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebatur, saepissime graves e Clero viros atque etiam Episcopos audivisse praeclarissimae illius foeminae sanctimoniam summis cum laudibus efferentes; et per decretum octavo Idus Ianuarias

Digitized by Google

anno MCMIII datum, Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart virtutes heroicum attigisse fastigium asseruit. Inita est deinde actio super tribus miraculis, quae ea deprecante patrata a Deo ferebantur, omnibusque iuridicis probationibus absolutis, Nos ipsi per decretum die x mensis Decembris anno superiore datum de singulis constare diximus. Cum autem de virtutibus ac de tribus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut Dilecti Filii Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum praepositi interrogarentur, utrum Beatorum caelitum honores Venerabili Dei Famulae Iuliae Billiart decerni tuto possent. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Ferrata Causae Relator in generali conventu coram Nobis, in Vaticanis aedibus tertio Kalendas Februarias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum iudicium. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica prima Quadragesimae huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis et adstantibus Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Tripepi, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, et Dominico Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Ferrata, Causae Ponente, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi eiusdem Congregationis Secretario, nec non Reverendo Patre Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulae

Digitized by Google

Iuliae Billiart Beatificationem quarto nonas Martias anno MCMVI. Quae cum ita sint Nos precibus permoti universae Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Iulia Billiart, Institutrix eiusdem Congregationis, Beatae nomine in posterum nuncupetur eiusque Corpus seu Lypsana seu Reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de Illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Namurcensi et in omnibus ecclesiis et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Religiosa Congregatio Sororum Beatae Mariae Virginis ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur: et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beatae eiusdem festum agitur confluentibus, servato decreto Sacrorum Rituum Congregationis (3862 Urbis et Orbis) die IX Decembris anno MDCCCXCV. Denique concedimus ut Sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Iuliae Billiart in dioecesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die XVI Decembris anni MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non

Digitized by Google

obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur,

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Martii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. Card. MACCHI

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

DE RATIONE STVDIORVM SACRAE SCRIPTVRAE IN SEMINARIIS CLERICORVM SERVANDA

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* recte Decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris « Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Lit- « terae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et tem- « porum necessitas admonent ». In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Bibliorum, textum pri-

Digitized by Google

migenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiae intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causâ interpre-

Digitized by Google

tando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. « Sacrae Scripturae magistris necesse est « atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, qui- « bus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, « easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, « qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. « Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de ceteris « item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magisteria ». (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

Digitized by Google

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas duntaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi com-

Digitized by Google

mentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratiâ, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quovis Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. CARD. MACCHI.

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPO VARSAVIENSI
ATQVE EPISCOPIS PLOCENSI ET LVBLINENSI
APVD POLONOS

—

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum est nonnullos dioecesium vestrarum, praesertim e iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudomonasticam, sub nomine « *Mariavitarum* » seu « *sacerdotum mysticorum* », absque ulla legitimorum Praesulum licentia, instituisse, cuius sodales sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione « quos Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei » deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulatam, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datam dictitabant, sese totos tanquam pietatis et conscien-

Digitized by Google

tiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberrima devotionis inter plebem exercitia (ceteroquin, si rite fiant, maxime commendanda), praecipue SSm̃i Sacramenti adorationem ac frequentissimas communiones, proprio marte et indiscriminatim promovere; quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminae sanctitate divinaque electione tantisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum,* quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminationibus gravissimis impetere non dubitarunt, ita ut metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supra dicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incoepto molimine haudquaquam destiterunt, nec reprobatae suae consociationi sincero animo renuntiarunt; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despexerint; non solum, effronti quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint; non solum seductam plebem haud uno loco concitarint ut legitimos propellerent pastores; sed etiam, perduellium more,

Digitized by Google

Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiaque defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibique solis, sacerdotibus *Mariavitis*, divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis. Paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Próchniewski, alter Ioannes Kowalski quem Praepositum suum, vi cuiusdam delegationis memoratae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresso Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut aiebant, conscripto, requirebant ut Supremus Ecclesiae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officii documentum traderet his verbis expressum: « Mariam Franciscam (id est praedictam mulie-
« rem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericor-
« diae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis
« et electis hisce ultimis temporibus mundi; omnibus vero
« sacerdotibus Mariavitis esse a Deo praeceptum cultum
« SSm̃i Sacramenti et Beatissimae Virginis Mariae de Per-
« petuo Succursu, in toto orbe terrarum, propagare, sine
« ullis limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a
« legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a qua-
« cumque potestate ecclesiastica vel humana... ».

Quibus ex verbis coniicere voluimus sacerdotes illos, non tam forte conscia superbia quam inscitia et fallaci rerum specie obcoecatos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel; « Vident vana et divinant mendacium dicentes: Ait
« Dominus, cum Dominus non miserit eos; et perseverave-
« runt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam

Digitized by Google

« vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: « Ait Dominus; cum ego non sim locutus » [1]. Hos igitur misericorditer exceptos adhortati sumus ut, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiae ac reverentiae erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae, pluribus in paroeciis dioecesium vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christianae plenius fovendae viderentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotos, ad pedes procumbere obtestarique firmam voluntatem votis Nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto [2] declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abiicere ad rectumque tramitem vellent redire:

« Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei adimplen-
« dam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis
« patuit, parati, sincerrime et laetissimo animo revocamus
« hanc nostram epistolam, quam die 1 Febr. a. c. ad Archie-
« piscopum Varsavien. dedimus, et in qua declaravimus nos
« separari ab Eo. Insuper sincerrime et cum gaudio maximo

[1] Ezechiel, XIII, 6, 7.
[2] Die 20 Febr. an. curr.

Digitized by Google

« profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie « autem cum Episcopo Varsaviensi, unitos esse volumus, « quoadusque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, « cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc « nostram professionem omnimodae obedientiae et subiectio- « nis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi « coetus Adoratorum SSmi Sacramenti, facimus. Specialiter « autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum « Plocensium qui propter causam eamdem, uti Mariavitae « Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se « ab Eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes « Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum iterumque amorem « nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specia- « lissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitentes, humil- « lime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos « paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique decla- « ramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax « populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affir- « mare etiam possumus pacem hanc revera brevi secu- « turam ».

Quapropter periucundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniam reversos, operam daturos, ut ea quae promiserant, re quamprimum praestarent. Atque idcirco Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectionem profitentes, pari misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenirent, conditionem pro muneribus sacerdotalibus exercendis, ad iuris tramitem, restitueretis.

Digitized by Google

At spem fefellit eventus; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelationibus rursus aperuisse, et in Poloniam receptos non solum obsequii ac subiectionis testimonium, quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitum auctoritatem infringere. Etenim « ex Episcopis constat « pars Ecclesiae longe augustissima, (prout legitur in epi- « stola diei 17 mensis Decembris 1888 s. m. Leonis XIII « Decessoris Nostri ad Turonensem Archiepiscopum) quae « nimirum docet ac regit homines iure divino; ob eamque « rem quicumque eis resistat, vel dicto audiens esse per- « tinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit..... Contra, « inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo « attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro « in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad pontificem « Maximum, quippe cui Christus non agnos modo sed oves, « quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut sum- « mum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est « rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute « moderateque, quemadmodum studium suadet communis « boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia « verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur ».

Inanis pariter et subdola sacerdotis Ioannis Kolwalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta

Digitized by Google

perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis *Mariavitis* sacerdotibus in bona fide perstiterunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Ioannis Kowalski diutius decipiantur, decretum iterum confirmamus, quo *Mariavitarum* consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobatamque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudentia, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si, spretis adhortationibus vestris in sua contumacia perseveraverint, — quod Deus avertat — muneris erit Nostri severius in eos animadvertendi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesibus vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedis Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietati exempla aemulari valent.

Interea, caelestium beneficiorum auspicem, paternaeque nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et

Digitized by Google

clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commisso, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Aprilis anno MDCCCCVI Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANDREAE TIT. S. ANASTASIAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
MEDIOLANVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vigere in *Seminario Theologico* Mediolanensi fidem, obsequium, studium erga Nos et Apostolicam Sedem, iamdiu noveramus; agnovimus autem nuper ex iis, quas tu curasti ad Nos perferendas, amantissimas litteras, atque huius amoris pignus, Petrianam stipem. Id vero scias delectationi fuisse Nobis et solatio. Multa quidem sunt, quae perfunctionem Pontificatus maximi difficilem Nobis laboriosamque faciunt: sed illud in primis Nos angit et sollicitat, quod, quum ad despicientiam auctoritatis proiecta sunt tempora, contumaces quosdam spiritus videmus inter bonos quoque serpere: atque huic vitio temporum nonnullos aliqua ex parte indulgere, qui minime omnium debeant. Profecto nihil tam absurdum tamque perniciosum cogitari potest, quam homines sacri

Digitized by Google

ordinis esse ullos, quorum sentiendi agendique ratio obtemperationem et reverentiam Vicario Iesu Christi debitam non plane praeferat. Iamvero quidquam huiusmodi suspicari non licet de alumnis Seminarii tui, in quo sanctissima Caroli disciplina etiamnum, te accurante, spirat: ac pro certo habendum est, eos omnes futuros tales ministros sacrorum, quales testantur se esse velle, id est Beati Petri Cathedrae toto pectore coniunctos, atque omnibus in rebus dicto audientes Pontifici. Nos interea haec pietatis observantiaeque testimonia libenter grateque amplectimur; eumdemque animorum habitum ut perpetuo tueatur et foveat ad propriam ipsorum et communem salutem divina benignitas, precamur. Ac caelestium munerum auspicem, Nostraeque paternae benevolentiae testem, tibi dilecte Fili Noster, Seminarii Theologici moderatoribus praeceptoribus et alumnis, iis praesertim qui Sacerdotium inituri proxime sunt, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Aprilis anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILES DEI FAMVLI
FRANCISCVS GIL DE FEDERICH, MATTHAEVS ALONZO LEZINIANA,
HYACINTHVS CASTANEDA, VINCENTIVS LIEM A PACE,
HIERONYMVS HERMOSILLA, VALENTINVS BERRIO OCHOA,
PETRVS ALMATÓ ET IOSEPH KHANG
BEATORVM HONORIBVS ET NOMINE DECORANTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Martyrum purpurata sanguine vel ab ipsis primordiis Ecclesia Dei, exhibere postea per consequentes aetates nunquam destitit mira exempla fortitudinis, et in omnibus vel longo terrarum marisque tractu dissitis regionibus, in quas vera fides est primum invecta, hi ante alios morte constanter tolerata christianam doctrinam confirmarunt, qui eam praedicatione vulgaverant, proprio videlicet sanguine quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Id porro non sine providentissimo Dei consilio factum est, nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini a coelis adesse auctorem fidei nostrae Christum Iesum qui, ut scripsit Sanctus Cyprianus, « praeliatores et adsertores sui nominis in acie

Digitized by Google

confirmavit, erexit, qui pugnavit et vicit in servis suis », et simul appareret vere sanguinem martyrum semen esse Christianorum. De Catholica Ecclesia ac de civili societate meritus Ordo Fratrum Praedicatorum, Martyrum palmis iamdudum assuetus, inter complures evangelii praecones, qui, uti loquitur Sanctus Ioannes Chrysostomus, « et laborando fortiores et moriendo victores effecti sunt », novum hodie eundemque duplicem manipulum exhibet, alterum eorum qui decimo octavo, alterum qui decimonono saeculo in Regno Tunquinensi « tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia ». Una enim eademque sub insectationis procella occubuisse dicendi sunt, quippe a medio saeculo decimoctavo ad annum usque sexagesimum secundum nuper elapsi saeculi odium contra christianam fidem in regionibus Tunquini nunquam deferbuit. Venerabiles Dei famuli Franciscus Gil de Federich, Matthaeus Alonso Leziniana, Hyacinthus Castañeda et Vincentius Liem a Pace sacerdotes Missionarii Ordinis Praedicatorum primae aciei pugiles fuere. Horum duo primi in Hispania nati sunt: Franciscus Derthusae e nobili genere, Matthaeus in oppido Nava del Rey nuncupato, dioecesis Vallisoletanae. Adolescentes adhuc Fratrum Praedicatorum ordinem ambo professi vehementi flagrantes desiderio longinquas easque barbaras terras peragrandi, ut ad animas « in tenebris et in umbra mortis sedentes » evangelii lumen afferrent, impetrata tandem venia ad Religiosam Provinciam SSm̃i Rosarii in Philippinis insulis post difficilis ac diuturnae navigationis discrimina appulerunt. Tunquinense dein iter aggressi tot exantlarunt pro Christi fide provehenda labores, tot se in pericula coniecerunt, tot adversa tulere, ut sen-

Digitized by Google

tentiam confirmarent « vix martyres effici nisi eos qui a Deo multis prius aerumnis sunt exerciti et quasi praeparati ad martyrium ». Christiana religione iampridem in Tunquino proscripta, prior ethnicam crudelitatem expertus est Franciscus Gil toleratis plures per annos squallore carceris, vinculorum pondere, militum contumeliis diuturnisque vexationibus, quas inter nec ab apostolatu cessit, sed licet captivus exemplo et verbis innumeras animas Christo lucrifecit. Eum brevi post Matthaeus Alonso Leziniana plura et acerba quidem perpessus eadem in custodia sequutus est, passionis socius non minus, quam in poena capitis appetenda aemulus. Damnatus enim perpetuo carcere firmissime obtestatus est velle se adiungi Francisco cum eoque obtruncari. Cuius voti ubi compos factus est, ambo crucem manu gestantes ad supplicii locum rapti sunt. Ibi Christi fidem iterato professi, palis colligati, ut sincere fidei eidem haererent circum adstantes hortati sunt, et continuo unico ensis ictu decollati ceciderunt XI Kalendas Februarias anno MDCCXLV.

Sex lustris ab hoc triumpho nondum exactis aliud nobile par Dominicianae Familiae Fratrum Venerabiles Servi Dei Hyacinthus Castañeda, Hispanus, Setabi intra fines dioecesis Valentinae ortus, et Vincentius Liem a Pace, Tunquinensis, novis coronis Ordinem suum Ecclesiamque decorarunt. Horum alter Hyacinthus, qui in ipso iuventutis flore nec parentum, nec ipsius matris amore eum detinente ad barbaras illas oras volens libens solverat, et primum in Sinis, dein in Tunquino apostolicum munus impigre et sancte obiverat, tandem comprehensus, ac biduo cibi potusque expers, huc illuc pertractus ad magistratum adducitur. Inde in arundineam caveam tam

Digitized by Google

arctam depressamque detruditur, ut neque standi locus esset neque cubandi. Haud ita multo post et Vincentius, qui nobili sanguine in Tunquino natus e genitrice christiana ac Manilae institutus se Guzmanae familiae mancipaverat, atque ad natalem terram veram fidem allaturus sacerdotio donatus se Hyacintho dederat in apostolatu comitem, dum SSm̃i Rosarii pervigilio sacris operam navat, ab ethnicis capitur et pari immanitate in similem caveam coniicitur. Mox ad Regem deducti et in eius conspectu catholicam fidem invicto animo professi capitali poena plectuntur. Hos etiam inter fortissimos christiani nominis adsertores singularis extitit in martyrio aemulatio. Vincentius enim, cui in eadem causa constituto, utpote Tunquinensi oblata evadendi opportunitas fuerat, quod capitalis illa lex indigenas non afficeret, sociae mortis aemulatione incensus fugam detrectavit. Itaque confirmata sententia una cum Hyacintho ad supplicium traducitur. Hi in conspectu populi et procerum, tantam constantiam mirantium, fusis precibus et recitato simul Apostolorum symbolo, ter gladio perculsus Hyacinthus, unico ictu Vincentius, capite truncantur VII idus Novembres anno MDCCLXXIII, Apostolatus sui cursum felicissime consummantes.

Alterius agminis officii dignitate praecipui sunt Venerabiles Dei famuli ex eadem inclyta Dominiciana familia Hieronymus Hermosilla, Episcopus Miletopolitanus, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, simulque horum adiutor Petrus Almató, eiusdem Ordinis sacerdos, et Hermosillae servus Iosephus Khang, catechista indigena. Hieronymus Hermosilla, natus pridie Kalendas Octobres annno MDCCC in Civitate S. Dominici Calceatensis, vix e pueris excessit, in

Digitized by Google

religiosam Praedicatorum familiam coepit cogitare. In ipsa receptus, mox ad Philippinas insulas primum transmigravit, deinde, sacerdotio auctus, missus est in Tunquinum, ubi gliscente iugiter contra Christi fidem teterrima insectatione, aspera multa sustinuit, ut nequissimi illius regis furorem insidiasque satellitum vitaret. Beato Ignatio Delgado Episcopo, qui eo temporis Apostolico Vicariatui Tunquinensi Orientali praeerat, adiutor datus, postquam ille ab ethnicis est in odium fidei nefarie interemptus, ex decreto Sanctae huius Apostolicae Sedis, vacantis Vicariatus regimen suscepit, addito Episcopali titulo Ecclesiae Miletopolitanae, atque ad necem usque quaesitus plures annos in montium speluncis, silvarum dumetis et coeno paludum inter caedes, incendia, tumultus huc illuc transfuga delituit, sed in ipso mortis limine interritus invictusque commissi sibi gregis spirituali bono prospexit. Tandem post apostolicos plurimos labores, quum ad naviculas quasdam piscatorum fidelium confugisset, per proditionem comprehensus est una cum alumno famuloque suo Iosepho Khang, indigena, et in provinciae orientalis principem urbem traductus. Cuius ad limina distentam Christi Cruci adfixi Imaginem conspicatus, ultra progredi nisi illa, ne profanaretur, sublata, recusavit. Tum cavea inclusus nec in duri illius carceris squalore divini verbi praedicationem intermisit, donec Kalendis Novembris anno MDCCCLXI, aetatis suae sexagesimo primo, una cum Episcopo Valentino Berrio-Ochoa et Petro Almató sacerdote capite caesus est.

Nam eodem die quo Sanctorum omnium celebritatem recolit Ecclesia haud absimili Martyrio iisdemque fere adiunctis vitam nitide actam nobilitarunt memorati Christi atletae Va-

Digitized by Google

lentinus Berrio-Ochoa et Petrus Almató. Horum prior natus XVI Kalendas Martias anno MDCCCXXVII in oppido Elorrió, dioecesis Victoriensis in Cantabria, e piis ac nobilibus parentibus, in ordinem Fratrum Praedicatorum adolescens adlectus, et ipse Philippinis ab insulis in Tunquinum centralem martyrii desiderio flagrans transmeavit, ubi eius cognita sanctitate brevi est Centuriensis titularis Episcopus universaeque Missionis Moderator ab hac Sancta Sede renuntiatus. Recrudescente vero in eius Vicariatu Centralis Tunquini persecutione, ita ut iam nullus perfugii locus superesset, ad orientalem Tunquini partem appulsus in horrido antro delituit, ubi pro viribus ministerio suo functus est. Inde pagum petiturus Van-Dinh appellatum, quum se ad easdem naviculas recepisset, ubi quatriduo ante Episcopus Hermosilla et Iosephus Khang fuerant comprehensi, ethnici cuiusdam proditione in satellitum manus incidit una cum Sacerdote Petro Almató. Uterque ligneo collari et catenis onusti ad urbem provinciae caput deducuntur, cui non succedunt nisi adorata prius ac deinde remota Cruce ad calcandum proiecta. Prope caveam Hermosillae Valentinus inclusus eodem die quo ille trahitur ad supplicii locum, ubi stipiti alligatus capitalem pro Christo poenam fortiter subiit. Eidem neci datus est Petrus Almató sacerdos, quem pariter Hispania protulit Sanctorum Martyrum, Confessorum et Virginum foecunda parens. Hic in pago Sazerra cui vulgo nomen, intra fines dioecesis Vicensis in Catalaunia ortus, et in Sancti Dominici religiosum ordinem inscriptus, lucidum vitae intemeratae exemplar enituit et indefessus Antistitum supradictorum in Apostolico ministerio adiutor dignus plane visus est, qui eodem atque

Digitized by Google

illi die anno aetatis suae trigesimo primo gloriosas cum sociis palmas intexeret. Novissimus in certamen venit Iosephus Khang, in pago Tra-Vi provinciae Nam-Dinh Tunquini christianis parentibus anno MDCCCXXXII editus. Iste Hermosillae alumnus ac famulus et in tertium Ordinem S. Dominici cooptatus, quum infidelium piscatorum cymbis cum suo praesule delitesceret, a militibus, quorum e manibus vinctum illum eripere nitebatur, tres ictus ensis accepit, cum eoque ad provinciae principem urbem captivus et saucius traductus est. Ac primum quaesitus de apostolicis viris reticuit: iteratis deinde verberibus compulsus interrogantibus prudenter satisfecit. Mox ad Crucem proterendam proposita libertate invitatus, maluit viginti supra centum virgarum ictus perferre quam a Fide desciscere; stetit, ut Cyprianus ait, « torquentibus fortior, et saevissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit ». Quare et ipse ad supplicium tractus eodem in loco ubi sex et triginta ante dies dilecti Praesulis ac domini sui sanguis effluxerat, annum agens vigesimum nonum truncato capite optatam coronam consequutus est octavo idus Decembris eiusdem anni MDCCCLXI.

Gloriosum horum omnium fortissimorum virorum exitum plura de caelo signa illustrarunt. Quum enim de Francisco Gil et Matthaeo Alonso supplicium sumptum est, sol nitidum caput obscura ferrugine texisse dicitur; circum morituros Hyacinthum Castañeda et Vincentium Liem albae duae quasi summo ab aethere dimissae columbae volitarunt. Ingens alborum papilionum agmen humi strata Hieronymi Hermosilla, Valentini Berrio-Ochoa et Petri Almató corpora ferme quodam angelico candore perfudit, atque avulsa capita miro per

Digitized by Google

noctem splendore micarunt: tandem post eorum gloriosam in conspectu Domini mortem pervicacium quorundam infidelium adversus religionem conversio et teterrimae poenae quibus tyranni aliique caedis auctores obnoxii fuerunt, Martyrum caelestem coronam luculenter confirmarunt. Quare de ipsorum Beatificationis causa apud Congregationem sacris tuendis Ritibus praepositam agi coeptum est, ac iuridicis probationibus rite expensis de Venerabilium Servorum Dei Martyrio eiusque causa itemque de signis Martyrium ipsum confirmantibus constare Nos ediximus duplici seiuncto decreto, altero edito XV Kalendas Maias anno MCMIV et altero VIII Kalendas Iunias anno MCMV. Id unum inquirendum supererat, ut Venerabiles Fratres nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur num stante, ut superius dictum est, approbatione Martyrii, Martyriique causae tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores iisdem Dei servis decernendos. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, loco et vice Cardinalis Seraphini Cretoni Causae Relatoris, in generali conventu coram Nobis habito XVIII Kalendas Decembres superioris anni MCMV, omnesque tum Cardinales tum Consultores qui aderant, unanimi suffragio affirmativam sententiam ediderunt. Nos vero in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis atque iteratis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem quarto Idus Decembres eiusdem anni MCMV, nempe Dominica Adventus secunda, qua Virginis Sanctissimae Lauretanae festum agebatur, Eucharistico litato sacrificio, accitis adstantibusque dilectis filiis Nostris Aloisio Cardinali Tripepi, Sacrorum

Digitized by Google

Rituum Congregationis Pro-Praefecto, et Dominico Cardinali Ferrata una cum Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Rituum Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde, Fidei Promotore, unico decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem memoratorum octo Venerabilium Dei Servorum Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus etiam permoti universi Fratrum Praedicatorum Ordinis necnon Cleri populique plurium Hispaniae dioecesium, auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei famuli Franciscus Gil de Federich, Matthaeus Alonso Leziniana, Hyacinthus Castaneda et Vincentius Liem a Pace, sacerdotes Missionarii Ordinis Praedicatorum, itemque Hieronymus Hermosilla, Episcopus Miletopolitanus, Vicarius Apostolicus Tunquini Orientalis, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, Vicarius Apostolicus Tunquini Centralis, Petrus Almató, sacerdos Missionarius eiusdem Praedicatorum Ordinis, et Iosephus Khang, catechista indigena tertii Ordinis S. Dominici Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorum corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, eorumque imagines radiis decorentur. Praeterea auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitentur Officium et Missa de communi Martyrum iuxta rubricas Missalis et Breviarii tum Romani tum Ordinis Fratrum Praedicatorum, cum orationibus propriis per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri concedimus tum intra fines Vicariatuum Apostolicorum Tunquini Centralis, Orientalis et Septentrionalis, tum in illis

Digitized by Google

Hispaniae dioecesibus, unde plerique ex istis Martyribus ortum habuere, tum denique in omnibus templis, coenobiis Ordinis Praedicatorum, etiam Monialium, ac tertii Ordinis S. Dominici ubique terrarum adnexis, ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur: et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus, servato decreto Sacrae Rituum Congregationis N. 5862 Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis eorumdem octo Martyrum supradictis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis die XVI Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV Aprilis anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MACCHI

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
IOANNI KLEISER, PROTONOTARIO APOSTOLICO
ET IOSEPH GVIOT
AVCTORIBVS HABENDI CONGRESSVS MARIALIS
APVD EREMITARVM COENOBIVM IN HELVETIIS

FRIBVRGVM HELVETIORVM

PIVS PP. X

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Honori magnae Parentis Dei conventus altero quoque anno ex universo terrarum orbe celebrari, summa equidem cum iucunditate videmus; id quod par est et consentaneum studio, unde in Sanctissimam Virginem agimur. Prope autem quum sit ut apud fidelissimos Helvetiae catholicos, atque in ipsis venerabilibus Eremitarum aedibus cogatur hoc anno congressus, sponte ac libenter ad auctores coetus gratulando convolamus, eam scilicet testaturi laetitiam, quam e subiiciendis disputationi rebus percepimus. Porro aptissimum in primis amplificandae in Deiparam pietati et perficiendae vitae fidelium illud reperimus deliberatum vobis esse, non alium debere congressionem prae se ferre habitum quam

qui ad actionem sit omni ex parte informatum datisque per Nos litteris ad Marialem Urbis conventum respondeat. Praecellens propositum laude prosequimur: ex eo namque non modo argumentum elucet religione vos atque utilitate duci, sed explorata quaedam certitudo emicat, non futuros sine fructu labores, quos, documentis obsecuturi Nostris, inibitis. Attamen, quod Romanum coetum admonuimus, id vestro etiam commendandum congressui existimamus; ob eamque rem sodales vehementer hortamur ut quae vacua sunt et inania et ab usu remota posthabentes, virtutem velint morum alere potissimum et proferre, quibus potest solis exprimi apud homines sanctitudo Virginis. Si enim, quod quidem summam pulcre continet disceptandarum per vos rerum, Mariam exemplar esse arbitramur vitae christianae, eo debet contentio congressionis spectare ut ad extremos usque terrarum oras impulsione nova fideles excitentur, atque ad Matrem imitandam Dei vividiore, quam antea, studio adducantur. Alia quidem complura sunt quae, e disserendis in conventu capitibus, probationem et laudem a Nobis promereant. Nolumus autem silentio praeterire valde Nos esse delectatos, sive proposito inserendi altius in animis, cum eadem religione in Virginem, observantiam in Nos atque in Petri Sedem; sive adiuvandi apud nationes provinciasque singulas Congressus Mariales; sive latius fundendi commentarios librosque de Virgine Deipara; sive favendi fidelibus qui pie velint ad Mariae aedes, celeberrima petendo sacraria, peregrinari; sive iungendi opportuno foedere catholicos, qui dedere sese huic pietati deliberent; sive etiam populariter pandendi religionem; sive demum feminas adolescentulasque

Digitized by Google

consociandi ut, prae amore et cultu Virginis sine labe Conceptae, ab integritate puerili propulsare labem omnem enitantur. Quapropter uberem commodorum copiam animo percipientes, quae vestra possunt e Congressione proficisci, fideles studiosos Virginis adhortamur omnes, ut frequentissimi in coetum confluant, praebeantque se cuncti et in deliberando graves, et in agendo alacres. Eos autem ut divinarum etiam gratiarum munera alliciant, singulis e coetu fidelibus plenam admissorum veniam, servatis servandis, concedimus, vobisque atque illis, testem voluntatis Nostrae, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Aprilis anno MDCCCCVI. Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO

A. FRANK

PRAESIDI COETVS SCRIPTIS CATHOLICIS EMITTENDIS

MONACHIVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praestito Nobis a te atque a collegis tuis e spectabili coetu scriptis catholicis per Bavariam edendis, nihil possit esse obsequio iucundius. Eos enim agnoscimus officia Nobis observantiae deferre, a quibus, sodalitatis vinculo coniunctis, quasi aptissimo augendarum virium praesidio, tam multa expectamus in tuitionem sacrarum Bavariae rationum emolumenta. Quae vobis saluberrimi condendi coetus exstiterint initia, compertum id quidem est: illata scilicet per adversas partes in catholicam professionem arma, ingesta tamen, ut est aetatis ingenio congruum, per eas maxime vias, quae ab omni litterarum genere praesto esse possint. At si decertandum bonis est sive ad custodiendam civitatem Dei, sive ad eius amplificandam vim; si, etiam, non illud

Digitized by Google

praetereundum dimicantibus bonis est, artes artibus esse obiiciendas easdem, haec omnia fuere potissimum curae vobis, qui studio tuendae religionis acti, praeclarumque secuti exemplum virorum e sacro ordine, in unum generose coivistis, illas allaturi patriae utilitates, unde laetari Nobis libet in praesens. Magnis propterea laudibus, quemadmodum illustria merita postulant, ornamus coetum, teque in primis industrium fortemque praesidem, eosque una simul omnes, quos scimus adlaborare animose tecum, immemores sui, memores autem Ecclesiae, cuius certe profectus cum civitatis bono coniungitur. Commoda autem et incrementa sodalitatis quum cordi Nobis sint, illud Bavariae universae commendamus, quod quidem plurimi in re gravissima refert, ut non modo sacrorum administri, verum etiam, praecipueque, *laici* nomen operi alacritatemque dedant. Omnes namque, quotquot catholica fide gloriantur, huic oportet fidei sive protegendae sive honorandae dare operam, et quando aptum prae ceteris opportunumque praesidium in sodalitate vestra est, eidem sese sodales addere. Quoniam vero nullum putandum est litterarum scriptorumque genus ab industria coetus alienum, id equidem expedire omnino atque adeo necesse esse existimamus, ut non ad labores solum sed ad impendia quoque ferenda, quae sane praegrandia esse non ambigimus, singuli gerant paratissimum animum, ea nimirum erecti atque excitati re, quae per eos suppeditentur id genus sudsidia, perinde ac lectissima pietatis opera, ad religionem referri, et ad comparandam animorum salutem conducere. Nostram demum ut operi voluntatem testemur, tibi, sodalibus cunctis, atque iis,

Digitized by Google

qui nomine operave coetui favebunt, auspicem caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Aprilis anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS QVO DIOECESES BELEMENSIS DE PARA ET MARIANNENSIS IN BRASILIANA REPVBLICA TITVLO ET DIGNITATE ARCHIEPISCOPALI DECORANTVR

Sempiternam humani generis salutem omni studio omnique ope curare, ideoque inter populos tum fidei pietatisque adiumenta, tum caritatis disciplinaeque vincula, apte quidem ad tempora, ad loca, multiplicari atque augeri fuit semper eaque maxima catholicae Ecclesiae sollicitudo. Atque huius sane sollicitudinis licet innumera ubilibet pateant indicia, praecipuum tamen in dioecesium provinciarumque ecclesiasticarum erectione habetur, quas Romani Pontifices iis praesertim in regionibus instituendas curant, quae recentiori aevo detectae, maiora ac promptiora prae ceteris habent civium bonorumque incrementa. Inter has vero regiones Brasiliana Respublica nuperrimis hisce temporibus peculiares Apostolicae Sedis curas sibi promeruit. Sane postquam Leo PP. XIII f. r. Litteris Apostolicis, quarum initium « *Ad universas Orbis Ecclesias* », quinto calendas Maii An. Dñi MDCCCXCII datis, quatuor novis erectis dioecesibus, alteraque constituta ecclesiastica provincia, totam ecclesiasticam hierarchiam in Brasiliana Republica restituit, plures aliae in eadem Republica erectae sunt et constitutae dioeceses, nempe de Spiritu

Digitized by Google

Sancto anno MDCCCLXXXXV, de Pouso Alegre anno MCM, de Alagoas anno MCMI, de Piauhy anno MCMII, et denique anno MCMIV Praelatura Santaremsis seu Nullius dioecesis. Sed aucto dioecesium numero, opportunum, imo necessarium omnino visum est novas archiepiscopales Sedes constituere. Cum enim Brasilianae Reipublicae territorium quam latissime pateat, atque duae tantum in eo nunc existant Archiepiscopales Sedes, non modo Archiepiscopi suffraganearum sedium necessitatibus, in iis quae ad ipsos spectant, difficillime occurrere possunt, sed et causae ecclesiasticae, matrimoniales praesertim, quae nonnisi maximo animarum discrimine differri possunt, nimis in longum protrahuntur, pluraque alia sequuntur incommoda.

Cum itaque novissimis hisce temporibus preces in hunc finem Apostolicae Sedi oblatae fuerint, SSm̃us D. N. Pius PP. X, cunctis quae consideranda erant, matura deliberatione perpensis, rei utilitate perspecta, exquisitaque sententia Sacri Consilii negotiis ecclesiasticis extraordinariis exspediendis praepositi, Episcoporum fideliumque votis obsecundandum censuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae Religionisque incremento in Brasiliana Republica benevertat, Sanctitas Sua, potestate utens sibi et Apostolicae Sedi expresse reservata in memoratis Apostolicis Litteris « *Ad universas Orbis Ecclesias* » novam ineundi in Brasilianae Reipublicae dioecesibus circumscriptionem, quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, episcopales Sedes Belemensem de

Digitized by Google

Para ac Mariannensem, quarum altera ad Boream, altera vero ad meridiem Brasilianae Reipublicae sita est, quaeque prae ceteris magis aptae et dignae visae sunt, ut ad archiepiscopalium Sedium dignitatem evehantur, in Metropolitanas erigere et constituere decrevit in eum, qui sequitur, modum.

I.

Primum itaque Beatitudo Sua utramque episcopalem Sedem Belemensem de Para atque Mariannensem, de Apostolicae potestatis plenitudine, a iure metropolitico archiepiscopalis Ecclesiae SSmi Salvatoris de Bahia atque archiepiscopalis Ecclesiae S. Sebastiani Fluminis Ianuarii respective exsolvit atque eximit, easdemque sub eodem titulo, quem praeseferunt, iisdemque in conditionibus, quibus nunc sunt, ad archiepiscopalem dignitatem et honorem evehit atque erigit pro uno deinceps Archiepiscopo Belemensi de Para atque Mariannensi, atque ut ordo Canonicorum Templi maximi uniuscuiusque dioecesis Metropolitanus audiat, perpetuo constituit ac decernit.

II.

Deinde Archiepiscopis Belemensi de Para et Mariannensi, post postulationem rite faciendam in Consistorio, eadem Beatitudo Sua usum pallii et Crucis ante se praeferendae, ex aliorum Episcoporum more atque ex Sacrorum Canonum praescripto, intra uniuscuiusque Archidioecesis limites, et non alibi omnino, concedit, itemque omnia archiepiscopalia insi-

Digitized by Google

gnia, privilegia, honores et iura, quibus aliae archiepiscopales Ecclesiae per Brasiliam earumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso seu ex indulto aut privilegio particulari, fruuntur, potiuntur et gaudent.

III.

Duabus hisce Archiepiscopalibus Sedibus, ut supra, constitutis, Sanctitas Sua in suffraganeas assignat et attribuit; Metropolitanae Ecclesiae Belemensi de Para Episcopales Sedes S. Ludovici de Maragnano, Amazonum et de Piauhy, quas in hunc finem a iure metropolitico archiepiscopalis Ecclesiae SSm̃i Salvatoris de Bahia subtrahit et eximit, ipsamque Santaremsem Praelaturam, licet Nullius dioecesis, derogato proinde exemptionis seu immediatae subiectionis Apostolicae Sedi iuri, quo Santaremsis eadem Praelatura, utpote Nullius dioecesis, frui deberet; Mariannensi vero dioecesim Goyasensem, quam pariter a iure metropolitico eiusdem archiepiscopalis Ecclesiae SSm̃i Salvatoris de Bahia distrahit, et Sedes episcopales Adamantinam ac de Pouso Alegre, quas ab ecclesiastica provincia S. Sebastiani Fluminis Ianuarii dividit et separat.

IV.

Cum autem ad regendam cathedralem Ecclesiam Belemensem da Para fuerit nuper per Litteras Apostolicas in forma Brevis, die 23 Aprilis hoc anno datas, electus R. P. D. Iosephus Marcondes Homen de Mello, atque Mariannensis

Digitized by Google

dioecesis a pluribus annis sit Episcopus R. P. D. Silverius Gomes Pimenta, mandavit eadem Sanctitas Sua ut iidem, in Archiepiscopos nunc constituti, Archidioeceses ipsis commissas eodem iure in posterum regant, quo hactenus rexere, eosque ab expediendis Apostolicis Litteris sub plumbo vel sub anulo Piscatoris pro aucta dignitate absolvit et dispensavit.

V.

Decrevit pariter Beatitudo Sua easdem Ecclesias Belemensem de Para et Mariannensem ad metropoliticam dignitatem erectas taxari utramque seorsim in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni parte, hasque taxas in libris Camerae Apostolicae de more describi.

VI.

Ad praemissa vero exsequenda eadem Beatitudo Sua deputare dignata est R. P. D. Iulium Tonti, Archiepiscopum tit. Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronuntiandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione ad Sacram hanc Congregationem, intra sex menses, transmittendi exsecutionis acta authentica forma exarata, ut in tabulario Sacrae huius Congregationis servari possint.

Digitized by Google

VII.

Demum Sanctitas Sua hisce de rebus praesens edi voluit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si super iisdem Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris exspeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta referri mandavit Sac. huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die I Maii an. Domini MCMVI.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILES DEI FAMVLAE
THERESIA A S. AVGVSTINO, MARIA FRANCISCA A S. ALOISIO,
MARIA A IESV CRVCIFIXO, MARIA A RESVRRECTIONE,
EVPHRASIA AB IMMACVLATA CONCEPTIONE, GABRIELA HENRICA A IESV,
THERESIA A SS̃MO CORDE MARIAE, MARIA GABRIELA A S. IGNATIO,
IVLIA ALOISIA A IESV, MARIA HENRICA A PROVIDENTIA,
MARIA A S. SPIRITV, MARIA A S. MARTHA,
STEPHANA IOANNA A S. FRANCISCO XAVERIO, CONSTANTIA MEVNIER,
CATHARINA ET THERESIA SOIRON
EX ORDINE CARMELITARVM EXCALCEATARVM
BEATARVM NOMINE DECORANTVR.

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Nullo sane tempore in Ecclesia Domini heroës defuere, et hi non modo integrae aetatis viri, sed etiam mulieres, senes ac teneri usque infantes, qui atroces inter cruciatus mortem oppeterent, et de christiana fide testimonium exhiberent. Neque solum in barbaris regionibus, ubi Evangelii praecones « a tenebris et umbra mortis » homines ad veritatem adducere conantur, verum apud excultissimos etiam populos et in opulentis civitatibus; nam infestus humanitatis osor ubique gentium odium contra Christi asseclas excitat atque movet.

Digitized by Google

Ita duodevicesimo exeunte saeculo vel Parisii, divinis humanisque cunctis permixtis, fecundo martyrum sanguine rubuerunt. Ibi enim iniuriae, libertatis nomine, in Ecclesiam illatae magis magisque in dies crevere, ac sub terroris regimine, sublata publica catholicae regionis dignitate, pollutisque Altaribus, tum Sacerdotes piaeque Virgines in claustris abditae, tum cives cuiuslibet ordinis, quos neque honestas, neque scientia iuvit, in vitae discrimen continenter sunt adducti ac misere necati. Inter famosae huius crudelitatis victimas mirabili extiterunt exemplo sexdecim Moniales ex ordine Carmelitarum Excalceatarum, quae vi iam Coenobio Compendiensi exactae, cruenta morte suae in fide et religiosis votis constantiae, perinde ac si scelus admisissent, poenas Parisiis pependerunt. Venerabiles Dei famulae, quarum ultimum supplicium novum addidit Ecclesiae splendorem, ac notam iudicibus inussit nulla oblivione delendam, hae fuerunt: Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriela Henrica a Iesu, Theresia a SS̃mo Corde Mariae, Maria Gabriela a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier, et Catharina ac Theresia Soiron germanae sorores. Placet de iis aliquid meminisse, quo videantur singulae, quibus praeditae virtutibus insigne pro suo caelesti Sponso martyrium fecerint. Theresia a S. Augustino, in saeculo Magdalena Claudia Lidoine, ortum Lutetiae Parisiorum habuit anno MDCCLII, et adhuc adolescentula ad Carmelum vocata, vicesimo primo aetatis suae anno Religionem est ingressa.

Digitized by Google

Haec tam incenso sacrificii caritatisque enituit studio, ut in Antistitam electa, se et Communitatem Deo pro impetranda inter Ecclesiam et Gallias pace consecraret, ac martyrii flagraret desiderio. Mira in extremo supplicio apparuit eius virtus; nam omnes suas filias ad mortem excitare non destitit, usque dum ipsa gloriosa martyrum corona non fuerit redimita. Huic succedit Maria Anna Francisca a S. Aloisio e gente Brideau, quae anno MDCCLXX, aetatis suae decimo octavo, religiosam vitam amplexa, adeo singulari silentii et solitudinis amore praestitit, ut difficiliora sibi demandata munera summa cum diligentia expleverit, ac mortem libentissime obierit. Par non erat alacritas ad vitam amittendam Mariae Annae Piedcourt Parisiensi, novem et septuaginta annos natae, quae inter Carmelitides Mariae a Iesu Crucifixo nomen assumpserat; sed tanta fuit eius in Deum pietas atque in homines caritas, ut naturae voce devicta, hilari vultu patibulum ascenderit et suavibus verbis carnifici pepercerit. Tandem ac prior aetatem egit Anna Maria Thouret, in claustris Maria a Resurrectione nuncupata, neque minorem ei iniecerat formidinem martyrium, sed magis Christi potuit amor, quo in Monasterio infirmis heroice praesto fuerat; immo a militibus barbare e curru deiecta, maxime timuit, ne sororibus praemoriens, martyrii gloriam consequi non posset, Praeclaris animi ingeniique dotibus exornata Maria Claudia Brard, quae inter Carmelitides adlecta, sibi Euphrasiae ab Immaculata Conceptione nomen indiderat, ad se abiiciendam est pro viribus adnisa; propterea humilis et mitis omnibus admirantibus facta, mortem suae aetatis anno octavo et quinquagesimo libentissime excepit, ut suus propinquus ad bonam

Digitized by Google

frugem revocaretur. Litteris pariter exculta et quidem poëtris fuit Maria Francisca de Croissy, anno MDCCXLV Parisiis orta, atque in religione Gabriela Henrica a Iesu vocata. A mundo penitus abhorrens, claustri vitam summo amore prosecuta, ac sanguinem pro Christo profundere cupiens, huiusmodi sensus facile versibus exprimebat. Martyrii itaque nuncium gaudio gestiens accepit, et gloriose ad superos evolavit. Septima accedit Theresia a SSmo Corde Mariae, in saeculo Maria Anna Hanisset, cui urbs Rhemensis patria fuit. Haec prudentia aliisque virtutibus, quibus Moniales excellere solent, elucens, duo et quinquaginta annos nata martyr occubuit. Fidelis regulae custodia una cum sanctitate, silentio et assidua cum Domino unione ita Mariam Gabrielam a S. Ignatio e familia Trezel illustrarunt, ut obrutus thesaurus vulgo nuncuparetur. Haec propinquis deprecantibus, ut iam e Monasterio expulsa, domum reverteret, fortiter obstitit, atque a Domino impetravit, ut sibi natus nepos ad caelestia gaudia adhuc innocens duceretur. Spectatam in se victoriam retulit Rosa Chrétien, quae iam consobrino Chrétien de la Neuville data nuptum et paucos post annos marito viduata, ad Carmelum confugit, ubi Mariae Aloisiae a Iesu sibi nomen adscivit. Cum esset enim ardenti difficilique ingenio, tanta cura studioque suos mores emendavit, ut omnes ab ea modestiae sumerent exemplum. Sed nobiliorem palmam accepit quinquagesimo tertio suae aetatis anno; nam, quamvis supplicii cogitatione vehementer commoveretur, vitam tamen pro Domino animose profudit. Verecundia autem, praeclara Monialium virtus, in Anna Pelras apprime effulsit, quae anno MDCCLX parentibus pietate egregiis orta, primum in Vincentianum

Digitized by Google

Institutum cooptata fuit, in quo germana soror Antistitae munere fungebatur, ac deinde utpote periculis propter singularem oris venustatem obnoxia, intra Carmeli clausura se recepit. Hic Mariae Henricae a Providentia sibi imposito nomine, infirmis adiuvandis inter a Caritate Sorores operam dedit, ac fortissimum contra tyrannos animum praebens, martyrium insigne fecit. De Angelica Roussel, id est Maria a S. Spiritu, anno MDCCLXVIII, suae aetatis decimoquinto inter Carmelitides excepta, commemoranda est heroica patientia, qua licet ardentissima praedita indole, totius vitae atroces pertulit poenas, ita ut glorioso martyrio eumdem habuerit et patiendi et vivendi finem. Ac pariter de Maria Dufour, in religione Maria a S. Martha, satis erit mirum illud praestans virtutum recolere documentum, quibus uti prius in saeculo, sic postea, usque ab anno MDCCLXXII, aetatis suae tricesimo primo, in communitate Compendiensi omnium sibi animos devinxit. In hac inclita mulierum cohorte decima tertia sequitur Elisabeth Verolot, cui vota nuncupanti Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio nomen fuit. Honesto loco nata, atque indole dulcis et festiva Carmelitidum vestem anno MDCCLXXXVII, vigesimo tertio suae aetatis induit; sese ad religiosae vitae labores et molestias, ei ab Antistita oculis subiecta, libenter amplectenda paratam ostendit, atque nuncio mortis est summopere laetata. Iunior inter has Maria Ioanna Meunier extitit, Constantia in monasterio dicta, quae lege iniuria lata quominus Deo se votis obstringeret impedita, cum parentibus pro viribus conflixit, non modo ut libere in claustris relinqueretur, sed etiam ut una cum Antistita piisque sororibus se ad mortem pro Christo offerre posset, quam vero duodetri-

Digitized by Google

ginta annos nata libens oppetiit. Reliquum est, ut pauca dicamus de germanis sororibus Catharina ac Theresia Soiron quae, licet humilibus officiis in pia monasterii domo addictae, magno tamen fortique animo moniales aequarunt. Prima enim maior natu atque ob suam prudentiam ad ianuam custodiendam delecta, Antistitam cum lacrimis obsecravit, ne se ab ipsa disiungi pateretur, atque ita sibi quoque sanguinem pro Christo effundere liceret: altera autem ob ipsius pulchritudinem a femina Principe de Lamballe ad servitia arcessita, renuit, et claustri paupertatem aulae deliciis praeponens, cum ceteris Carmelitidibus supplicium consociavit. Hae venerabiles Dei famulae, decus et ornamentum totius ordinis Deiparae Virgini a Monte Carmelo sacri, vel ab ineunte Galliarum perturbatione e Compediensi coenobio expulsae in exiguas manus decesserat, sive ad religiosa promissa, quantum liceret, implenda, sive ad pericula a fidelibus prudenter acriterque propulsanda; sed quum saevus ille furor in christianum nomen cum maxime increvisset, mites et innoxiae Virgines mense Iunio anno MDCCXCIV comprehensae sunt atque in vincula coniectae. Quod eas summo affecit gaudio, nam iterum omnes simul congregatae, carcerem pro Monasterio habuerunt, ibique pietatis exercitationibus, quoad fieri potuit, operam navantes, sese invicem ad martyrium cohortabantur. Illinc vero haud multo post, IV idest Idus Iulias, repente Parisios traducuntur. Grave est dictu, quantum in longo itinere sanctae hae mulieres excruciarentur. Duris curribus superiectae, manibus ad tergum vinctis, circumdatae armatis ac plebis contumelias et irrisiones perferre coactae, hoc uno fruebantur solatio, quod Deo summas adhibentes preces, se ei in holocaustum

Digitized by Google

offerrent. Ubi autem ad principem Galliarum urbem pervenerunt, denuo in horridum carcerem conduntur, novas et acerrimas molestias, famem nimirum, sitim, crassum foetidumque aërem, et quod gravius erat, nequam hominum societatem perpessurae. Sed heroicas Carmeli filias neque animus neque vires defecerunt, quin immo diem XVII ante Kalendas Augustas, ipsarum supplicii praeludium, in honorem Nostrae Dominae Carmelitidis effusa laetitia celebrarunt, ita ut profanis visae sint potius ad nuptias quam ad mortem se parare. Postridie eius diei in ius raptae sine testibus, sine defensoribus praecipiti ac tumultuario iudicio capitis damnatae sunt, huic tantum culpae affines, quod suo instituto se fideles servaverint ac SSmum Iesu Cor eximia coluerint religione. Qua edita sententia incredibile est quantum moniales oblectarentur, utpote quae martyrii coronam tandem essent adepturae. Iter a tribunali ad supplicii locum triumphi crederes viam; nam Carmelitides per mediam turbam, alto usas silentio, laetis iucundisque vultibus incedebant, Deo grates pro tanto beneficio cumulate persolventes. Ubi vero mortis pegma conspiciunt, suas voces, mox angelorum choreis commiscendas, elatius emittunt, atque hymnum Paracletum invocantem maximo cum fervore canunt. Itaque renovatis tum sacri Baptismatis tum religiosis votis, Theresia a S. Augustino antistita luculentum Machabaeorum exemplum imitata, omnibus precibus exorat, ut ad animos morituris addendos securi caput ultima submittat. Atque ita delicati flores, omnigenas virtutes redolentes, singuli a tortore praeciduntur, et decoro effuso sanguine, uti efflagitavit Theresia, gratiam apud Altissimum pro Galliis invenerunt. Paucos enim post dies effre-

Digitized by Google

nata illa caedis cupiditas sensim restincta fuit, et effluere desiit cruor quo nefarii cives nobilissimam regionem per biennium resperserant.

Tanta martyrii fama longe lateque protinus pervulgata, propter caelestia signa nova luce refulsit. Quare eius caussa, iuridicis inquisitionibus feliciter absolutis, ad S. S. Rituum Congregationem delata est. A qua mature perpensis, ratisque habitis actis omnibus in ordinario ad has aedes Vaticanas conventu Kalendis Decembribus anno MDCCCCII celebrato, de eiusdem caussae introductione pertractatum fuit, quam XVII Kal. Ian. anni supradicti fel. me. Leo XIII Decessor Noster sua manu signavit. Praeterea nutu iussuque Nostro Apostolico actis confectis, aliisque quaestionibus rite solutis, signisque seu miraculis, quae ad earum Venerabilium Dei Famularum intercessionem a Deo patrata ferebantur, una cum martyrio et caussa martyrii ad trutinam de more revocatis, Nos per memoratae SS. Rituum Congregationis Decretum, die octavo Kal. Iulias superioris anni datum, memoriae Sancti Praecursoris dicato, de martyrio eiusque caussa, necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare rite declaravimus. Hoc unum tantum supererat inquirendum, ut VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales praefatae Congregationi SS. Rituum praepositi rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii eiusque caussa, pluribus signis seu miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto censerent procedi posse ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulabus decernendos. Quod dubium propositum fuit a Venerabili Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Card. Vannutelli Episcopo Praenestino et caussae Relatore in generalibus Comitiis coram

Digitized by Google

Nobis xviii Kal. Dec. elapsi eiusdem anni habitis, omnesque qui aderant, tum Cardinales, tum SS. Rituum Congregationis consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Denique vi Idus Decembr. superioris eiusdem anni, quo die Ecclesia Almae domus Lauretanae B. M. V. I. translationem celebrat, Eucharistico Sacrificio libato, adstantibus dilecto Filio Nostro Aloisio Diacono Cardinali Tripepi SS. Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac supradicto Ven. Fratre Nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Vannutelli, necnon Ven. Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, ac Rev. Patre Alexandro Verde Fidei Promotore, tuto procedi posse decrevimus ad sollemnem Venerabilium Dei Famularum, quas supra memoravimus, Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus Dilecti Filii Nostri Francisci Mariae Beniamini S. R. E. Card. Richard, Archiepiscopi Parisiensis, una cum VV. FF. Archiepiscopis et Episcopis Dioecesum ad quas pertinebant Praedictae Venerabiles Dei Famulae, nec non universae Carmelitarum Excalceatorum familiae permoti, Apostolica Auctoritate Nostra harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famulae Theresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloisio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriela Henrica a Iesu, Theresia a SSmo Corde Mariae, Maria Gabriela a S. Ignatio, Iulia Aloisia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier ac germanae sorores Catharina

Digitized by Google

et Theresia Soiron ex Ordine Carmelitarum Excalceatarum, Beatarum nomine in posterum nuncupentur, earumque Corpora et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et sacris radiis Imagines decorentur. Insuper eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de Communi Virginum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis seu Breviari Romani. Huiusmodi vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus intra fines dumtaxat Dioecesium Parisiensis et Bellovacensis, itemque omnibus in templis religiosarum domorum Fratrum necnon Sororum Ordinis B. M. V. a Monte Carmelo, qui Excalceati dicuntur, ab omnibus fidelibus ad horas Canonicas recitandas obstrictis, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 5862 Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Demum concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famularum, quas supra recensuimus, supra dictis in templis celebrentur, ad normam Decreti seu Instructionis SS. Rituum Congregationis die XVI Dec. MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate definiendis intra annum postquam eadem sollemnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exem-

Digitized by Google

plis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae SS. Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris extensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Mai MDCCCCVI Pontificatus Nostri anno tertio.

L. ✠ S.

A. Card. MACCHI

Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
VENERABILI DEI FAMVLO BONAVENTVRAE A BARCINONE
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

PIVS PP. X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Salvator ac D. N. Iesus Christus, qui *infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat,* saepe numero humili atque obscuro loco natos homines, nullis artibus, nulla eruditione, nulla eloquentia, nullo denique instructos humanae potentiae praesidio excitat, ad illustria facinora pro Ecclesiae suae bono et religionis incremento patranda. Inclyta Minorum Fratrum Familia, vertente saeculo decimo septimo, inscrutabilis huius Divinae Providentiae consilii mirabile exemplum prodidit, quum humilis illius laicus Venerabilis Dei Famulus Bonaventura a Barcinone, non sine maximis contentionibus et laboribus tutum communire sodalibus suis asylum ad rigidius ac perfectius vivendi genus ineundum, atque etiam Sacrum in hac Alma Urbe Nostra Recessum fundare non dubitavit. Nimirum in eo apparuit quantae sit veritatis ac virtutis Summi illa Magistri promissio: *qui sequitur me habebit lumen vitae;* nam divina tantum spe fretus, et propositum sibi finem, omni-

Digitized by Google

bus difficultatibus devictis, assequutus est feliciter, et innumeros socios ad sanctitatis semitam decurrendam instruxit, et vitae suae actis universo Franciscali Ordini novum decus atque ornamentum addidit.

Anno reparatae salutis MDCXX die Novembris mensis quarto et vicesimo, in oppidulo Riudoms prope Barcinonem, urbem Hispaniarum florentissimam, a Michaële Gran et Catharina eius uxore natus, eodemque die lustralibus undis ablutus, Michaël Baptista nomen habuit. Parentes tenuis conditionis fuere, sed vitae integri, qui agrorum cultura sibi victum suisque comparabant. Accepta ab iis christianae pietatis rudimenta, vel a primis annis moribus suis, egregiae indolis puer, optime expressit; nugis enim atque oblectamentis aetatis illius propriis omnino abstinens ac solitudinis potius silentiique cupidus, innocentia, pudicitia et mira erga genitores obedientia floruit. Scholam non sine laude per breve tempus celebravit; nam crescentibus rei familiaris angustiis, illam deserere coactus, et magistro et condiscipulis magnum sui desiderium reliquit. Itaque custodiae gregis addictus, assiduae rerum divinarum commentationi vacavit, et saepe rusticas ante aras in Virginis Imagine defixus, devote flexis genibus orans, suavi illam matris nomine compellabat. Postquam prima vice ad S. Synaxim accessit, cum dilecto Iesu consociatus pius adolescens, ad uberiores efficiendos in virtute progressus curas omnes suas cogitationesque intendit, ideoque religiosas induere vestes, seque Deo totum mancipare summopere cupiebat. Sed licet invito nuptias parabat pater, dictoque audiens Michaël, quam ille proposuerat puellam, duxit uxorem. At nuptiarum die laetum fugiens convivium,

Digitized by Google

novus in templo sponsus manebat, Angelorum Dominam fervidis precibus flagitans, ut sibi suaeque vitae comiti virginitatis florem intactum servaret. O praeclarum facinus et angelicae potius quam humanae naturae proprium! Michaël a sponsa tuendae puritatis promissionem obtinuit, et donec uxor vixit, videlicet sexdecim mensium spatio, sanctissimi coniuges, non sine Dei praesensione, promissis steterunt. Equidem morti proxima mulier, assidenti matri, se Michaëli sororem fuisse, non uxorem, et purum illibatumque Deo corpus reddere fatebatur.

Mortua uxore, atque impetrato tandem genitoris consensu, S. Francisci Assisiensis habitum postulavit; sed Provincialem loci patrem diu reluctantem expertus est, qui denique humilitate ac virtutum Michaëlis fama motus, illum diuturni voti compotem reddidit. Anno MDCXXXX, aetatis suae decimo nono, die mensis Iulii decimo quarto, quo S. Bonaventurae Doctoris festum agitur, in Coenobio S. Michaëlis oppidi Escornalbon asperum Fratrum Minorum sagum, caelestiali laetitia profusus, assumpsit, et Michaëlis nomen in illud auspicatissimum Bonaventurae commutavit. Vix tirocinium posuerat, iamque in ipso vitae claustralis exordio, Christianae perfectionis formam apprime referre visus est. Religiosae disciplinae observantissimus, ne in minimis quidem illi unquam defuit, et paupertatem, castimoniam, humilitatem ac virtutes omnes servantem munientemque obedientiam, singulari prorsus studio est prosequutus. Paupertatem ita dilexit ut in victu cultuque vilissima quaeque semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, munera infima libens impleret et cellam inhabitaret angustiorem. Simplicitatem et candorem cum poe-

Digitized by Google

nitentia coniungens, innocens corpus ieiuniis, flagellis, vigiliisque compescuit. Ad obedientiam quod attinet mandata praepositorum adamussim servavit, et nullam unquam parendi moram interposuit: tandem in unaquaque virtute ita enituit, ac si ceteris posthabitis, illam unam viribus totis solummodo excoluisset. Ex eo factum est, ut a tironibus non modo, sed etiam a provectioribus sodalibus absolutissimum Seraphicae vitae exemplar sit habitus.

Tirocinii anno rite confecto sollemnia vota nuncupavit, atque inter Ordinis laicos cooptatus est. Continuo Morae, Tarassiae ad S. Agnetis atque in illis Catalauniae regularis provinciae Coenobiis in quibus moram duxit, Venerabilis Dei Servus Bonaventura vitae sanctimonia admirationem sibi omnium conciliavit, accedentibus etiam caelestibus signis. Nam cum ipsi conrogandae stipis cura fuit concredita, per compita et finitima loca pedetentim incedens, patientiae et christianae charitatis documenta dedit miranda. Sollertia maxima et flexanimis verbis perditos homines ac dissolutas foeminas e vitiorum coeno revocare nitebatur, aegrotos et pauperes humanis officiis recreabat, alebat. Puerum iam fere animam agentem, obstupescente medico, a suffocationis periculo liberavit.

Saepe dum coqui munus obiret, paratas dapes aut ignis absumpsit, aut rapuere feles, aut ipse egenis imprudens distribuit, et nihilominus statis horis suavioribus cibis mensa fratrum redundavit. Saepe in extasim coram populo rapiebatur procul a terra, et licet in ipsum, ira aestuans christiani nominis osor, interdum noctu diris cruciatibus et multo verbere saeviret, Omnipotens Deus, qui iam Venerabilem Dei

Digitized by Google

Servum ad maiora vocabat, humilem eundem laicum delegerat, in quo abundantioris gratiae suas divitias ostenderet. Quare ab omnibus Frater Sanctus appellari publice coepit, et cum divino spiritu afflatus Romam adeundi veniam a superioribus, id aegre ferentibus, impetravit, magna christiani populi discessum morantis turba ad portum usque Barcinonensis urbis Bonaventurae est comitata. Sed ille tenax propositi, nec fletu fidelium nec terrae natalis charitate permotus, navim conscendit, et post varia procellosae navigationis pericula et piratarum incursionem in nomine Domini reiectam Genuam appulit. Inde regulae statutis obsequens, etsi adulta hyeme altis terra rigeret pruinis, longum Romam versus iter pedes emensus est, et primum Sanctam Lauretanam domum invisit, dein Assisium, qua in urbe, dum loca S. Francisci vita et miraculis clara summa devotione lustrat, quod iamdiu coeperat consilium caelesti signo acceptum superis esse persensit. Nam dum noctu ad S. Damiani, coram SSm̃a Eucharistia, orans advigilat, audivit vocem de coelo dicentem: « I Romam laetatum domum meam ». Et sane Ven. Dei Famulus Bonaventura a Barcinone salutare illud propositum animo moliebatur instituendi in Romana Provincia Sacrum pro religiosis viris sui Ordinis Recessum, in quo iidem rigidiori ratione Seraphici Patris legem servantes, suae proximorumque saluti atque aedificationi uberius consulere possent; eundemque ad finem ex Hispania ad hanc Almam Urbem ipse properabat.

Vix Romam pervenit anno MDCLIX ianitor in Conventu S. Isidori positus, in humili officio tanta ac tam singulari virtutum praestantia enituit, ut non modo penes confratres,

Digitized by Google

verum etiam penes Romanos omnis conditionis cives magnam sanctimoniae famam adeptus fuerit. Verum ubi primum instituendi Recessum consilium patefecit, innumerae continuo ortae difficultates, ipsis regularibus superioribus mirantibus, quod laicus Hispanus, qui vix litteras calleret, italicae linguae ignarus atque omni prorsus eruditione destitutus, tam arduum opus aggredi praesumeret. Sed destinatus Dei Servus, in Eo tantum sperans qui humiles corde exaltat, adversa cuncta patientia constantiaque vicit. Cardinalis enim Barberinius, Franciscalis Ordinis Protector, Bonaventurae votis annuens, illum ad pedes Alexandri PP. VII rec. memoriae Praedecessoris Nostri adduxit, qui in obscuro laico Dei spiritum agnoscens, Sacri Recessus institutionem probavit, illiusque regulas et statuta ab eodem Dei Servo exarata, Apostolicis Litteris quorum initium « *Ecclesiae Catholicae regimini* » die xxx mensis Augusti anno MDCLXII datis, suprema auctoritate interposita, sanxit.

Idcirco Recessui Sacro inchoando adsignatus fuit Conventus S. Mariae a Gratiis oppidi Ponticelli in Sabina, montanus ac silvester, sed aptus solitudini ac poenitentiae locus. Plures sine mora religiosi viri Franciscales illuc ad umbratilem vitam, in assidua oratione, ieiunio, et carnis afflictationibus ducendam confluerunt, quibus gratum admodum fuisset, si sanctus institutor ac legifer Recessus ipsius regimen obtineret. Sed renuit humilis laicus praeesse sacerdotibus, atque utpote coquus sodalibus suis maluit inservire, donec a Cardinali Protectore, sub sanctae obedientiae vinculo adstrictus, Custodis munus licet invitus assumpsit. Qua prudentia commissum officium implerit, qua charitate, qua sol-

Digitized by Google

lertia in timore Dei et virtutum omnium exercitatione, suis potissimum exemplis, sodales confirmaverit, ex eo facile coniici potest, quod recurrentibus impedimentis ac difficultatibus feliciter superatis, primum Montorii, dein Variae in agro Tiburtino duae aliae sacri recessus domus brevi apertae fuerint. His Venerabilis Dei Servus modo uti Custos praefuit, modo uti Commissarius Visitator advigilavit, modo omni abdicata dignitate, dimissis in officiis ianitoris, coqui vel olitoris inserviit. Interea sanctitatis illius fama percrebuit in dies *tamquam prodigium factus multis:* quocumque incederet, dimissus et pedes, laeto populorum concursu excipiebatur: inter finitimas gentes veteres simultates iam ad caedem prorumpentes, quasi e Coelo delapsus angelus, adspectu suo tantum composuit; omnesque eum optimum tamquam parentem ducebant sanctumque appellabant, mutationis enim cordium et prophetiae dono divinitus pollebat.

Anno Iubilaei MDCLXXV et Romae, in hoc Orbis Catholici centro, pia Sacri Recessus domus condita fuit. Nam Cardinalis Barberinius, ab eodem Venerabili Deo Famulo a certae mortis discrimine liberatus, illi locum in Urbe ubi Conventum aedificaret quaerenti, penes veteres Caesarum Palatii ruinas solitarium ac praeruptum, spinis et dumetis refertum agri modum donavit. Nulla mora, benefactorum tantum eleemosynis fretus, perarduam ille operam inchoat, et quamvis paupertatis voti observantissimus ne obolum quidem possideret, tamen operarii fabricae addicti ne uno quidem die pacta mercede caruerunt. Ipse Bonaventura, permixtus aliis laicis, saxa et latera congerens, structores adiuvabat, et post plurimos per quinquennii spatium exantlatos labores, Coe-

Digitized by Google

nobio et continenti templo ad finem adductis, quod templum Deo in honorem S. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris sacrum esse voluit, Venerabilis Dei Servus tum novi Conventus Custos, cum universi Recessus moderator et praepositus est Apostolica Auctoritate renuntiatus. Verum etsi iure ac merito supremus esset sacri Recessus praeses, vilia tamen officia nusquam detrectavit, immo sese in illis versari maxime in deliciis habuit. Itaque dum Recessus coenobia ex demandato sibi officio lustrat diligentissime, nunc Variae, nunc Montorii, nunc in Conventu S. Mariae Gratiarum vel mensae confratrum consulit, vel stipem pro iis, sarcinis onustus, quaeritat, vel infirmis suavibus fraternae charitatis officiis ministrat. At Romae non modo populares, sed viri Principes, Praesules et Sanctae Romanae Ecclesiae etiam Cardinales certatim ad S. Bonaventurae Conventum Dei Famulum allocuturi confluebant, nemo non recreatus abibat, minime deficientibus prodigiis, cum humana subsidia deficerent. Divino enim lumine illustratus cum viris doctissimis de theologicis disceptationibus indoctus disseruit, et Patris Assisiensis indolem suavissimam referens, nudo simplicique dicendi genere animorum motus et lacrimas ciebat. Romanis quoque Pontificibus Alexandro VII, Clementi IX ac X atque Innocentio XI Praedecessoribus Nostris rec. mem. acceptissimus fuit, qui humilis laici coeptis annuentes, Sacrum auctoritate sua Recessum firmarunt, eleemosynis sospitarunt, indulgentiis ac spiritualibus gratiis auxere.

At sanctus Fundator dissolvi cupiens et cum Christo esse, hilari vultu *in paradisum, in paradisum* repetens, adesse sibi finem persentiebat. Mors autem fuit vitae tam sancte

Digitized by Google

actae plane consentanea. Nam febri correptus, etsi medici eum morti proximum minime subolerent, tamen se triduo moriturum nunciavit, et revera die undecima mensis Septembris anno MDCLXXXIV, aetatis suae sexagesimo quarto, Ecclesiae Sacramentis rite munitus, benedictis confratribus suis circa lectum adstantibus, placidissimo exitu mortale aevum cum immortali commutavit. Quoniam vero *in memoria aeterna erit iustus,* corpus quidem conditum sepulchro est non sine tumultu Romanorum civium, sancti viri vultum postrema vice invisentium: virtutum vero famam consequentes etiam aetates exceperunt; nam Sacri Recessus opus, ab ipso Venerabili Dei Servo tam strenue propugnatum, uberiora semper in Franciscalis familiae bonum incrementa suscepit; et surgens adhuc medias inter veteris urbis ruinas in Palatino clivo Recessus, a S. Bonaventura nuncupato, quasi testimonium christianae humilitatis super ethnicum fastum victoriam referentis, pluribus in posterum sanctissimis viris tuta fuit sedes, ac potissimum Leonardi a Portu Mauritio apostolatu praefulsit.

Itaque, etsi serius propter publicarum rerum in Hispania conversionem, de Bonaventurae fama sanctitatis et prodigiis penes SS. Rituum Congregationem causa agitari coepta est, et iuridicis probationibus rite confectis, virtutes illius heroicum attigisse culmen rec. mem. Pius PP. VI Praedecessor Noster decreto edixit XVIII kal. Septembres anno MDCCLXXV dato. Inita deinde actio est de miraculis quae eo deprecante divinitus patrata ferebantur, omnibusque de iure absolutis, Nos Ipsi per decretum diei vicesimi quarti mensis Aprilis nuper elapsi super duobus miraculis Apostolica Auctoritate

Digitized by Google

constare sanximus. Cum autem de virtutibus ac duobus miraculis iam esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Congregationi SS. Rituum praepositi interrogarentur, an Beatorum Coelitum honores Venerabili Dei Famulo Bonaventurae a Barcinone tuto decerni possent. Hoc praestitit Dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, causae Relator, in generali conventu coram Nobis in Vaticanis Aedibus octavo Kal. Maii labentis anni habito, omnesque tum praedicti Cardinales, cum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorari Deum oportere ante edendum supremum in re tam gravi iudicium. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica tertia post Pascha huius anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis adstantibusque Aloisio S. R. E. Cardinali Tripepi S. Rituum Congregationi Pro-Praefecto et Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata, causae Relatore, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo titulari Laodicen., eiusdem S. Congregationis Secretario ac Rev. Patre Alexandro Verde, Sacrae Fidei Promotore, sollemni decreto sanximus tuto procedi posse ad Venerabilis Servi Dei Bonaventurae a Barcinone laici professi Ordinis Minorum S. Francisci et conditoris sacri Recessus S. Bonaventurae Almae huius Urbis sollemnem Beatificationem.

Quae cum ita sint, universi Ordinis Minorum S. Francisci supplicationibus permoti, Auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Servus Bonaventura a Barcinone, eiusdem Ordinis laicus professus,

Digitized by Google

nomine Beati in posterum nuncupetur, eiusque Corpus et lypsana, seu relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus, in hac Alma Urbe Nostra eiusque districtu, et in civitate ac Dioecesi Barcinonensi, nec non in templis omnibus et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Ordo Minorum, ab omnibus fidelibus tam saecularibus, quam regularibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus saecularibus sive regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servato Decreto SS. Rituum Congregationis N. 3862 Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Bonaventurae a Barcinone in templis supradictis celebrentur ad normam seu instructionem SS. Rituum Congregationis die XVI Decembris MCMII de Triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designanda intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Denique volumus, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Rituum Con-

Digitized by Google

gregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI Maii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

A. Card. MACCHI

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO
PRAESIDI CONVENTVS GENERALIS
ADIVTORVM SODALITATIS SALESIANAE
MEDIOLANVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quotquot ex universis terrarum oris illustri censentur nomine adiutorum rei Salesianae, valde equidem grate novimus conventum Mediolani esse acturos, de provehenda tum piae Sodalitatis tum sacri civilisque cultus opera sollicitos. Quam multis et quam libenter eiusmodi congressiones complectamur votis, admonet sane vos superiorum coetuum memoria, perspicueque declarat sive Nostra in Salesianos non intermissa unquam voluntas, sive earum enarratio rerum, de quibus conferre in coetu consilia praescripsistis. Etenim significata Nobis argumenta conventus gravitate praestare omnia, et communi commendari gratia reperimus: ut ecce conferendas in iuventutis commodum curas, sive litteris addicta illa sit, sive incumbat labori; impertienda populo, tum ad corpus tum ad animum suble-

Digitized by Google

vandum, auxilia; comparanda iis, qui e patria migrarint, omne genus adiumenta; suppeditandum demum ethnicis fidei catholicae atque adeo humanitatis lumen. Quod coetus studia in hisce collocare constitutum sit, magnopere gratulamur, laudemque auctoribus damus quum quia utilia Sodalitio parant, tum quia opportuna et congruentia tempori spectant. Summo deinde desiderio eventus uberrimi congressionem prosequimur, nihilque interea dubitamus, quin frequentia sodalium et alacritas expectationi Nostrae respondeant. Quae autem consulenda vobis aut providenda in congressu erunt, iis benignitas Dei propitia et volens adspiret, donetque abunde munera caelestia. Horum vero auspex Nostrique animi testis Apostolica Benedictio sit, quam tibi atque e coetu singulis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII Maii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IACOBO MARIAE L. MONSABRÉ
SACERDOTI DOMINICIANO

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tu quidem non cessas Dei gloriam animarumque salutem promovere scribendo, id quod egregie diu praestitisti concionando, dum per aetatem viresque licuit. Novum enim profers praeclarae tuae sollertiae pietatisque munus, librum qui *La Prière* inscribitur; quem humanissime ad Nos mittens cum plena fidei studiique epistola, impense rogas ut tibi, dena iam lustra complenti postquam religiosum institutum professus es, atque ad humanum exitum properanti, divinam bene precando conciliemus opem. Nos vero primum de oblato volumine gratum testamur erga te animum: eo magis quod rem tractasti, semper quidem opportunam, at hodie maxime, quum tanta est privatim ac publice divinae exorandae benignitatis necessitas; tractasti autem quemadmodum tua et doctrina et

Digitized by Google

arte dignum erat. Tum omnia tibi a Deo cupimus: optamusque ut annos praeterea multos incolumis pergas augere stilo, ut facis, tua in Ecclesiam promerita. Quam vero tu expetis, auspicem caelestium munerum, Apostolicam Benedictionem, Nos tibi, dilecte Fili, effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Maii anno millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DE SACRIS CONGREGATIONIBVS SVPER DISCIPLINA REGVLARI ET DE STATV REGVLARIVM ORDINVM EXTINGVENDIS

—

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Sacrae Congregationi super negotiis Episcoporum et Regularium providentissime constitutae duplicem aliam Romani Pontifices Decessores Nostri, congruenter necessitatibus temporum, adiecerunt. Nam Innocentius XII, ad tuendam in religiosis Italiae familiis sancti instituti integritatem, die XVIII Iulii an. MDCXCV Const. *Sanctissimus*, Congregationem instituit *super Disciplina Regulari;* quae quidem Congregatio, praeter propriam provinciam, conservandi scilicet inviolatam in Italia disciplinam religiosorum Ordinum internam, propositum habuit, opportuna Summo Pontifici consilia suggerere quae ad fovendam et reparandam eam ipsam disciplinam etiam extra Italiam pertinerent. Pius autem IX fel. rec. Congregationem *de Statu Regularium Ordinum*, quam ab Innocentio X fundatam Innocentius XII sustulerat, decreto die VII Septembris an. MDCCCXLVI edito tamquam extraordinariam restituit, eiusque hoc voluit esse munus, quod me-

Digitized by Google

moratae modo Congregationis partim fuerat, disciplinam in religiosis Ordinibus per universam Ecclesiam instaurare *novisque fovere decretis*.

At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur, cur hae duae Congregationes a Congregatione Episcoporum et Regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod Congregatio super Disciplina regulari iamdiu communi utitur Cardinali Praefecto, et communis cum Congregatione Episcoporum et Regularium est utriusque Secretarius: Congregatio autem de Statu Regularium Ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit. Itaque hisce omnibus mature perpensis, Nos Motu proprio Congregationem tum super Disciplina Regulari tum de Statu Regularium Ordinum penitus abolemus, abolitasque esse declaramus, ac facultates ipsarum omnes in Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium perpetuo transferimus. Quod autem his litteris decretum est, ratum firmumque auctoritate Nostra Apostolica iubemus esse, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Maii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
IVLIANO ARCHIEPISCOPO PORTVS PRINCIPIS
CETERISQVE EPISCOPIS
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE HAITIANAE
PORTVM PRINCIPEM

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex provinciali Haïtiano coetu, quem nuper celebrastis, haud mediocrem hausimus iucunditatem. Prior enim episcoporum conventus in istis regionibus coactus est post ecclesiasticam hierarchiam rite constitutam. Qua ex re arctior caritas vestra erga Romanum Pontificatum evasit ac simul vehementius studium exarsit, quo vos, tamquam excubiae in statione unicuique adsignata vigilantes, acrius attentiusque contulistis rationes quae in gregis vestri tutelam conducerent. Hos itaque labores laetamur ac Deo omnium bonorum auctori porrigimus vota ut quae congressi, christianae plebis utilitate, statuitis, eadem re ipsa fortes industriique in dioecesibus vestris singillatim praestetis. Interea vero,

Digitized by Google

testem effusae benevolentiae Nostrae, Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXX Maii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO MARIAE EPISCOPO ZAMORENSI
IN AMERICA SEPTENTRIONALI

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vocaturum te nuntiasti in conventum agricolas, ut eorum rationibus, religione duce, deliberando prospiceres. Probari scito Nobis hoc tuum consilium, omninoque videri dignum Episcopo, qui, quid requirant tempora, probe norit. Nam in tanta rei oeconomicae agitatione quae operarios homines maxime sollicitat, admodum sacri pastoris est, dare operam ut ii concitatorum fallacias caveant, et iurium suorum defensionem ad normam religionis, quae optima est iustitiae custos, exigant. Interea rogamus Deum, consiliantibus vobis adesse velit; atque auspicem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, eisque omnibus, qui conventuri tecum sunt, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Iulii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DE RELIGIOSORVM SODALITATIBVS NISI CONSVLTA APOSTOLICA SEDE NON INSTITVENDIS

—

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Dei providentis benignitatem, opportune Ecclesiae temporibus subvenientem, cum alia multa ostendunt, tum hoc praeclare, quod veteribus religiosorum Ordinibus ob conversionem publicarum rerum dispersis afflictisque, nova instituta accessere, quae, professionem religiosae vitae retinendo, ingravescentibus christiani populi necessitatibus multipliciter deserviunt. Illas hoc loco, ut apparet, utriusque sexus Familias dicimus, proprio et titulo et habitu distinctas easdemque solo simplicium votorum aut nullo id genus vinculo adstrictas, quarum sodales, licet in plures distributi domos, eisdem tamen legibus ac sub uno summo praeside omnes vivunt, eo proposito, ut perfectionem virtutis ipsi assequantur, seque proximorum causâ in variis religionis aut misericordiae operibus exerceant. Profecto sodalitatum istiusmodi, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate merentium, sperandum est, numquam defuturam copiam: hodieque libet agnoscere, usque adeo eas increbuisse, ut nullum videatur esse ministrandae caritatis christianae genus, quod illae reliquum fece-

Digitized by Google

rint. Verumtamen, quae est humanae conditionis infirmitas, ex ipsa ista talium sodalitatum frequentia, nisi temperatio aliqua iuris accesserit, fieri non potest quin aliquando sacrae disciplinae perturbatio quaedam oriatur et confusio. Itaque ad hoc avertendum incommodum plurà iam Apostolica Sedes edixit; nominatimque cavit, ne ibi sodalitas nova conderetur, ubi per alias iam conditas necessitatibus loci satis consultum esset; neve ulla usquam sineretur institui, quae aut redditibus careret, ad sodalium victum necessariis, aut quidquam minus decorum in titulo, in habitu, in opere exercendo prae se ferret. Praeterea Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum nonnulla praescripsit antea servanda, quam hae sodalitates earumque constitutiones approbatione aut laude Sedis Apostolicae honestarentur. At vero experimentis compertum est, nondum per has praescriptiones satis esse provisum, ne sodalitates ab suis exordiis in eo statu collocentur, unde postea, quum Apostolicae Sedis comprobatio erit assequenda, debeant magno saepe cum detrimento recedere. Quare, de eiusdem Sacri Consilii sententia, haec Nos quae infra scripta sunt, motu proprio statuimus:

I. Nullus Episcopus aut cuiusvis loci Ordinarius, nisi habita Apostolicae Sedis per litteras licentia, novam alterutrius sexus sodalitatem condat aut in sua dioecesi condi permittat.

II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratiâ, Sacrum Consilium Episcoporum et Regularium negotiis praepositum adeat per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit sodali-

Digitized by Google

tatis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant.

III. Accepta Sacri Consilii venià, nihil iam obstabit, quominus Ordinarius novam sodalitatem instituat aut institui permittat, eo tamen titulo, habitu, proposito ceterisque rebus ab ipso Sacro Consilio recognitis, probatis designatisve: quae numquam deinceps, nisi eodem consentiente, immutari licebit.

IV. Conditae sodalitatis constitutiones Ordinarius recognoscat: verum ne prius approbet, quam eas ad normam eorum, quae Sacrum Consilium in hac causa decrevit, exigendas curaverit.

V. Instituta sodalitas, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, Ordinariorum iurisdictioni subiaceat, ut Decessoris Nostri Constitutione « *Conditae* » sancitum est.

Quae vero per has litteras decreta sunt, ea Nos rata et firma esse volumus, contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Iulii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

DE EXPONENDIS TRIENNALI RENVNTIATIONE A MODERATORIBVS INSTITVTORVM VOTA SIMPLICIA PROFITENTIVM

In approbandis seu commendandis novis Institutis votorum simplicium iampridem praescribi consuevit ut a moderatoribus seu moderatricibus generalibus tertio quoque anno ad S. Sedem Apostolicam transmittatur relatio de statu personali, disciplinari, materiali et oeconomico propriae cuiusque Congregationis. Huiusmodi enim relatione singula Instituta, quorum domus in variis extant dioecesibus dissitisque locis, explorata perspectaque fiunt eidem S. Sedi; quae idcirco continua providentia ea prosequi, et, si quando a legibus deflectere videantur, sive cohortationibus, sive correctionibus mandatisque ad pristinam observantiam revocare potest.

Cum vero perspicuum sit parum vel nihil utilitatis inesse praedictae relationi si, uti non raro factum est, fusius expositis quibusdam ad rem minus facientibus, vix innuantur aut plane reticeantur ea, quae potissimum cognoscere oportet; hinc ad optatum finem facilius ac tutius assequendum peropportunum visum est, ut etiam modus et ratio conficiendi relationem omnibus et singulis, ad quos spectat, communi lege praescribatur.

Digitized by Google

Itaque haec S. Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita redigendum curavit elenchum quaestionum, quibus distincte indicantur ea omnia, quae in relatione utiliter seu necessario sunt exponenda, eumque, post maturum examen, in plenario Eñorum Patrum coetu approbatum, cum omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus generalibus Institutorum, per modum *instructionis*, cui sese conformare oporteat, communicandum esse censuit.

His autem relatis SSño Domino Nostro Pio Divina Providentia Papae X in audientia habita ab infrascripto Cardinali eiusdem S. Congregationis Praefecto die 17 Iunii 1906, *Sanctitas Sua* rem ultro probavit, iussitque per hanc ipsam S. Congregationem omnibus et singulis moderatoribus et moderatricibus Institutorum vota simplicia profitentium Apostolica Auctoritate mandari, prout praesentis decreti tenore mandatur, ut in triennali relatione proprii cuiusque Instituti ad singulas quaestiones in elencho hisce litteris adiuncto conscriptas et ab *Eadem Sanctitate Sua* approbatas confirmatasque, memores rationis quam Deo, cordium scrutatori, reddituri erunt, fideliter atque examussim respondeant: contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis die XVI Iulii MDCCCCVI.

D. CARD. FERRATA, *Praefectus.*

PH. GIUSTINI, *Secretarius.*

Digitized by Google

INSTRVCTIO
SEV
ELENCHVS QVAESTIONVM

AD QVAS RESPONDENDVM EST A MODERATORIBVS SEV MODERATRICIBVS GENERALIBVS INSTITVTORVM VOTA SIMPLICIA PROFITENTIVM IN RELATIONE AD S. SEDEM TERTIO QVOQVE ANNO TRANSMITTENDA.

Praemittenda.

1. – Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis et quando Institutum a S. Sede obtinuerit.

2. – Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.

3. – Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.

4. – * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.

5. – * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi*.

6. – Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas non nisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.

Digitized by Google

I. De Personis.

a) De admissis.

7. – Quot novi sodales ab ultima relatione admissi fuerint.

8. – Num omnes praescripta testimonia exhibuerint.

9. – Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sint.

10. – *(In Institutis religiosorum).* Num litterae testimoniales per Decretum *Romani Pontifices* praescriptae in singulis casibus expetitae fuerint.

11. – Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam superiore ecclesiastico concessa.

12. – In quanam domo et quanto tempore Postulantes seu candidati commorati fuerint.

b) De Novitiis.

13. – Quot sint domus Novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

14. – Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.

15. – Quot nunc in Novitiatu degant.

16. – Num Novitii a Professis rite separati existant.

17. – Num omnes habeant integrum exemplar Constitutionum.

18. – Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo Novitiatus sub cura magistri degerint.

19. – Num, quantum et qua auctoritate, tempus Novitiatus ultra terminum in constitutionibus praefinitum prorogatum vel imminutum fuerit.

20. – Utrum Novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

Digitized by Google

21. – Num durante secundo anno Novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint.

22. – *(In Institutis Sororum).* Num ante admissionem ad habitum et ad primam professionem Episcopus vel eius delegatus examen praescriptum instituerit.

c) De Professis.

23. – Quot nunc sint in Instituto sodales *a)* votorum temporaneorum, *b)* votorum perpetuorum.

24. – Num vota temporanea semper tempore debito fuerint renovata.

25. – Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporaneorum.

26. – Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

d) De egressis et dimissis.

27. – Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint *a)* ex novitiis, *b)* ex professis temporaneis, *c)* ex professis perpetuis.

28. – Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint normae in Constitutionibus praescriptae.

29. – Num semper et a quo superiore ecclesiastico, in casibus dimissionis, obtenta fuerit dispensatio super votis emissis.

30. – *(In Institutis Sororum).* Num in casibus dimissionis professarum in perpetuum accesserit confirmatio apostolica.

31. – *(In Institutis virorum).* Num in dimittendis sodalibus semper et in omnibus observatum fuerit Decretum « *Auctis admodum* »; et nominatim num in casu professi perpetui, vel professi votorum temporaneorum quidem, sed constituti in Ordine sacro, Moderatores Instituti

a) praemiserint trinam monitionem;

b) admiserint, concesso congruo tempore, legitimam rei defensionem, eiusque rationem debitam habuerint;

c) an, quoties et qua facultate processerint summario modo.

Digitized by Google

32. – *(In Institutis Sororum).* Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerant, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.

33. – Num iis quae propriis bonis destitutae erant, in casu egressus ex Instituto, necessaria suppeditata fuerint, quibus tuto et decenter in propriam familiam reverti potuerint.

II. De Rebus.

a) De domibus.

34. – Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.

35. – An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

36. – Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

37. – Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

38. – Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

39. – Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

40. – Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

41. – *(In Institutis Sororum).* Num habitatio Capellani sive confessarii ingressum separatum, et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

Digitized by Google

b) De bonis.

42. – Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae *a)* tum Instituti in communi, *b)* tum uniuscuiusque domus.

43. – Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

44. – Num pecuniam semper utili foenore et honesto ac tuto collocaverint.

45. – Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.

46. – Num et quae bona sive immobilia sive mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

47. – Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

48. – Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

49. – Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.

50. – Num unaquaeque domus procuratorem sive oeconomum, distinctum a Superiore domus et ab oeconomo generali, habeat.

51. – Num Procuratores, sive generales sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et an huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

52. – Num lites de bonis habeant.

53. – Num in omnibus domibus adsit arca tribus clavibus clausa; et an serventur leges ad rem latae.

54. – Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

55. – *(In Institutis Sororum).* Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento collocatae fuerint; an

Digitized by Google

et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

56. – Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

57. – Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

58. – Num pecunia, qua huiusmodi fundationes factae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

59. – Num Episcopo iuxta Constitutionem « Conditae » de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.

60. – Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

61. – Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

62. – An superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.

III. De disciplina.

a) De vita religiosa.

63. – Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

64. – Num omnes sodales quotidie missae sacrificio assistant.

65. – Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

66. – Num observetur Decretum *Quemadmodum a)* quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam, *b)* quoad sacramentalem confessionem: num pariter servetur decretum *Sacra Tridentina* circa communionem eucharisticam; et an utrumque Decretum statis temporibus lingua vernacula in communi legatur.

Digitized by Google

67. – Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

68. – Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

69. – Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

70. – Num Religiosis e domo egredientibus semper a Superioribus socius addatur.

71. – Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catechisticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

72. – Num scripta circa pietatem, religionem etc., etiam ad usum Instituti tantum, typis edantur absque Episcopi licentia.

73. – Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

b) De observantia quarumdam specialium legum.

74. – Num omnia circa Capitulum Generale praescripta diligenter observata fuerint: *a)* quoad litteras convocatorias; *b)* quoad electionem delegatorum; *c)* quoad electionem scrutatorum et secretarii; *d)* quoad electionem Moderatoris generalis; *e)* quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

75. – Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

76. – Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

77. – Num Moderator Generalis et Superiores Provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

78. – Num Moderator Generalis et Superiores sive Provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive Provinciae sive domus.

Digitized by Google

79. – Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

80. – Num in Consilio Generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

81. – Utrum omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet caritate paterna suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

82. – An alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis graventur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

83. – Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

84. – *(In Institutis Clericorum)*. Quot annis clerici vacent studiis *a)* litterarum humaniorum, *b)* philosophiae, et *c)* theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.

85. – Num omnes studentes:

a) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;

b) ante promotionem ad sacros Ordines studia per pontificium decretum *Auctus admodum* respective praescripta rite perfecerint;

c) caetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum Ordinationis, litteras dimissorias etc.) religiose observaverint.

86. – Num Pontificia decreta statis temporibus publice legenda, reipsa lecta fuerint.

c) De operibus Instituti.

87. – Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

88. – Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

Digitized by Google

89. – *(Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt).*

a) An ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;

b) Num decretum « *Singulari* » d. d. 27 Mart. 1896 ipsis Constitutionibus insertum sit;

c) num illud decretum in omnibus religiose observetur.

90. – Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

91. – Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

92. – Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videntur.

93. – Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

94. – Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

95. – *(Pro Institutis Religiosorum).* Num aliquod institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

96. – Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

97. – Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui?

98. – Num querelae vel difficultates existant *a)* cum Ordinariis locorum, *b)* cum confessariis, *c)* cum capellanis.

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a moderatore seu moderatrice generali, sed etiam a singulis consiliariis seu assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt.

Digitized by Google

Quod si quis ex iisdem consiliariis seu assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere audeat.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
THOMAE LVDOVICO EPISCOPO NAMVRCENSIVM
ET PRAESIDI CONSILII PERMANENTIS
CONGRESSIBVS EVCHARISTICIS PARANDIS
NAMVRCVM

—

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Conventus haberi quotannis ad cultum sacrosanctae Eucharistiae provehendum, id quidem nedum efficacitatem horum coetuum imminuat, conducere immo arbitramur amplificandae utilitati rei. Nobis quidem procul dubio illud est, proferri amorem cultumque Sacramenti augusti, sicuti eiusdem dignitas postulat, non posse, nisi explorata antea et pervulgata apud omnes beneficentissima erga Nos ac studiosissima dilectione Dei, quae sane in nullo splendidius benefacto elucet, quam in divini convivii Sacramento. Consentaneum propterea rei esse conspicimus, coire fideles in unum saepe, desiderio actos contemplandi mysterii, ceterosque

Digitized by Google

exemplo ac sermone cohortandi ad rependendum caelestis Numinis amorem, et ad fidem praesentis Dei alte tenendam. Si enim fidei caritatisque sacramentum putanda eucharistia est, fidei etiam et caritatis isti sint coetus oportet. Quae quidem fides et caritas maxime omnium sunt, e christianis virtutibus, aetati Nostrae commendandae, quum ea misere nunc vertant tempora, quibus hinc intellectus, perinde ac sensus quivis, in apparentia fere inclinat, inde vero unius amore sui unusquisque occupatur. Infirmiori igitur fidei et deferventi caritati medendum per Eucharistiam est, e qua, si fidei et caritatis potissima quaerenda exempla sunt, oritur etiam abunde ad renovandos animos gratia. Harum porro praedicatio virtutum non solis debet contineri verbis, sed actionem postulat alacrem et variam, eamque ingenio temporum accommodatam. Haec tecum, Venerabilis Frater, communicare voluimus, ut proximo in conventu eucharistico Tornacensi vestra huc industria contendat, atque iste percipiatur a coetu fructus, experrecta nempe et cum usu coniuncta fides et caritas hominum. Placet autem novo huic coetui peculiarem in modum benevolentiam Nostram testari, studiumque profiteri, quo ardemus, eiusdem exaugendae vis. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium S. R. E. Cardinalem Vannutelli, Episcopum Praenestinorum et Praesidem ad honorem permanentis consilii eucharistici, ut nomine et auctoritate nostra conventui praesit, delegamus, plenamque fovemus spem fore ut, quotquot in congressione aderunt, spiritus inde alacriores sumant ad ea, quae sunt conventui proposita, uberius assequenda. Testem vero paternae voluntatis Nostrae et

Digitized by Google

divinorum auspicem munerum, tibi atque e coetu singulis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Iulii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LETTERA

AL POTENTISSIMO
MENELIK NEGVS NEGESTI
IMPERATORE DI ETIOPIA

POTENTISSIMO NEGVS NEGESTI
SALVTE E PROSPERITÀ!

Il Nostro Predecessore fece una volta appello alla generosità del vostro cuore, e Vostra Maestà lasciò vedere che le parole di pace e di misericordia sonavano dolci al suo orecchio. Ora un motivo analogo Ci spinge a rivolgere a Vostra Maestà una calda raccomandazione in favore dei cattolici residenti nel suo vasto Impero. Se come sudditi essi dipendono da Vostra Maestà, per la religione che professano sono Nostri figli. Noi perciò dividiamo con la Maestà Vostra la sollecitudine del loro benessere. Mossi da questa, non possiamo occultare il dolore provato nell' apprendere che in alcune parti del vasto Impero i cattolici sieno stati messi in prigione, e abbiano visto confiscati i loro beni. Se disgraziatamente si fossero resi rei di qualche delitto, Noi non leveremmo la voce in loro favore; ma i cattolici dell' Harar non sono sudditi fedelissimi di Vostra Maestà? Se la Maestà Vostra permette agli altri suoi sudditi di professare quella religione a cui sono indirizzati dalla voce

Digitized by Google

del Cielo, perchè non vorrà usare altrettanta tolleranza per i suoi sudditi cattolici?... Noi crediamo che il Potentissimo Negus Negesti non abbia direttamente ordinato alcun atto di persecuzione contro i cattolici; epperò preghiamo Vostra Maestà di voler far cessare quelli che, malgrado le sue buone disposizioni, si sono compiuti a danno dei cattolici di Lume, di Salàle e di Bereket. Quest' atto di giustizia e di clemenza non potrà non accrescere il prestigio di Vostra Maestà presso tutte le Nazioni, e da Dio Misericordioso ne avrà Ella il premio che Noi Le auguriamo nella sincerità del Nostro amichevole affetto.

Roma, dal Vaticano, il 18 Luglio 1906, nell' anno terzo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANTONIO PICCARDO SACERDOTI
MODERATORI GENERALI
SODALITATIS FILIORVM A SANCTA MARIA IMMACVLATA
ROMAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

A viro illustri Ioseph Frassinetti, praecellentis pietatis singularisque doctrinae sacerdote, fere ducens initia, officio sane sodalitas ista tenebatur, quae ille scripta reliquisset, sive adhuc sive numquam edita, colligendi omnia evulgandique, nihil de felici exitu dubitans. Id vos, te auctore, amplexos esse consilium, fuit Nobis intellectu iucundum; neque enim per multam, quam suavissimo munere Dei, aetatem gessimus in accurandis sacro ministerio animis, praeterire illud potuimus, quam bene et quam salubriter conscripta ab eo opera mereantur de fidelium excitanda perficiendaque sanctitudine. Qui quidem auctor, uti ad rem ipse scribis, ita praestat religione et scientia, atque ita eminet perspicaci illa sua temperantique in practicis praescriptis

prudentia, ut aptam Nobis operam praebere videatur in instaurando christiane populo; tantoque id magis, quia aetati huic nostrae, tam multa sibi prae ceteris postulanti, opportune ille, pervidendo, prospicit. Quapropter, quam ipse et sodales editionem cogitatis, Nostro inscribi Nomini ultro concedimus, id certo rati, non modo voluptatem Nobis, sed ecclesiae utilitatem hisce emittendis libris parari: ex quo illud etiam efficitur, vos, quibus labores, nec ita leves, libenti animo ferre, dum opera prodeant omnia, est deliberatum, laudibus faustisque votis esse dignos. Auspicem caelestium donorum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem tibi ac Filiis singulis Sanctae Mariae Immaculatae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Iulii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

LETTERA ENCICLICA

AI VENERABILI FRATELLI
ARCIVESCOVI E VESCOVI D'ITALIA

PIO PP. X

VENERABILI FRATELLI
SALVTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE

Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al Principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì Nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a Noi la parola del Profeta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* [1]; e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando soprattutto lo zelo dei Nostri Fratelli nell'episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che Ci spinge a levare di nuovo la voce, è del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'atten-

[1] Is. LVIII, 1.

Digitized by Google

zione del vostro spirito e tutta l'energia del vostro pastoral ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti effetti: e, se con mano forte non si svella dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni. — Abbiamo infatti sott'occhi le lettere di non pochi fra voi, o Venerabili Fratelli; lettere piene di tristezza e di lagrime, le quali deplorano lo spirito *d'insubordinazione* e *d'indipendenza*, che si manifesta qua e là in mezzo al clero. — Purtroppo un'atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni; e gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda: *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant* [1]; oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comecchessia fino nel santuario ed infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell'Ecclesiastico: *Natio illorum, obedientia et dilectio* [2]; è cosa questa che Ci ricolma l'animo d'immenso dolore. — Ed è soprattutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei Seminari si preparano al sacerdozio.

[1] Iud., 8.
[2] III, 1.

Digitized by Google

Pertanto, o Venerabili Fratelli, sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esizialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* [1]. Esigete severamente dai sacerdoti e dai chierici quella obbedienza, che, se per tutti i fedeli è assolutamente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, gioverà assaissimo, Venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* [2]. È la facilità infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni quella, che apre naturalmente la via ad *un moltiplicarsi di gente* nel santuario, che poi *non accresce letizia.* — Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh! qual motivo, o Venerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani? Se la scarsità del clero non può essere ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbano assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la

[1] II, 15.

[2] I Timoth. V, 22.

Digitized by Google

colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio, istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un ufficio umano qualsiasi, al quale ognun che il voglia e per qualunque ragione abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma, come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della mente.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, Venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo: sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri Seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali voi li avrete educati. — Gravissima è su ciò la lettera che vi diresse, in data 8 dicembre 1902, il Nostro sapientissimo Predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato. Nulla noi vogliamo aggiungervi di nuovo: richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente, che al più presto sieno messi in esecuzione i Nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, sulla concentrazione dei Seminari, specialmente per gli studi della Filosofia e della Teologia, a fine di ottenere così il grande vantaggio derivante

Digitized by Google

dalla separazione dei Seminari piccoli dai Seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I Seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano *esclusivamente* destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione di ministri di Cristo. — Gli studi di Filosofia, di Teologia e delle scienze affini, specialmente della Sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tommaso, tante volte raccomandato dal venerato Nostro Predecessore e da Noi nelle Lettere Apostoliche del 23 Gennaio 1904. I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamando al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall'insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni. — Il frequentare le pubbliche Università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. — Sia onninamente impedito che dagli alunni dei Seminari si prenda parte comecchessia ad agitazioni esterne; e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi principî, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli alunni. — Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare. — Non manchi da ultimo in verun Seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, ch'è il primo fondamento della vita sacer-

Digitized by Google

dotale. — Queste norme, o Venerabili Fratelli, ove sieno da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d'insubordinazione e d'indipendenza, finora da noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocchè non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobo spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 luglio 1894 il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia. Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscienza dei Vescovi, perchè non abbiano ad avverarsi mai in veruno di loro le parole di Nahum profeta: *Dormitaverunt pastores tui* [1]. — Nessuno può avere facoltà di predicare, *nisi prius de vita et scientia et moribus probatus fuerit* [2]. I sacerdoti di altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. — La materia della predicazione sia quella indicata dal divin Redentore, là dove disse: *Praedicate evangelium* [3]... *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* [4]. Ossia, come commenta il Con-

[1] III, 18.

[2] Conc. Trid., Sess. V, cap. 2, *De Reform.*

[3] Marc. XVI, 15.

[4] Matth. XXVIII, 20.

Digitized by Google

cilio di Trento: *Annunciantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant* [1]. — Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo; si antepongano le prediche morali a conferenze, il men che possa dirsi, infruttifere; si parli *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* [2]. Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concilî.

Conformemente a queste norme, Venerabili Fratelli, egli è duopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che talun di essi, più cupido degli interessi propri che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani; e voi ammonitelo, correggetelo; e se ciò non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno. — La quale vigilanza e severità tanto più dovete voi adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale; e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo; ond'è che resta sempre a voi il rispondere innanzi a Dio

[1] Loc. cit.

[2] I Cor. II, 4.

Digitized by Google

del modo col quale viene dispensato ai fedeli il pane della parola divina. — Noi, per declinare da parte Nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinari di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammonizioni, anche durante la predicazione, qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente alle ingiunzioni della precitata Istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del Catechismo fatta dai loro parroci, anzichè dover assistere a predicazioni che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando purtroppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità, è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o Venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte del Predecessore Nostro d'immortale memoria.

Parliamo, ben l'intendete, della Istruzione, che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, il 27 Gennaio 1902, e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curaste l'esecuzione. — Questa Istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di Nostra potestà ne rinnoviamo tutte e singole le

Digitized by Google

prescrizioni; come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stessi all'uopo emanate nel *Motu-proprio* del 18 Dicembre 1903 *De populari actione christiana moderanda*, e nella Lettera circolare del diletto figlio Nostro il Cardinale Segretario di Stato, in data 28 Luglio 1904.

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nell' art. 42 della Costituzione Apostolica « *Officiorum* » [1]: *Viri e clero.... prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* — Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuno del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall' Ordinario. — Le conferenze sull'azione popolare cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell' Ordinario del luogo. — Ogni linguaggio, che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana. — È similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che, ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a *nuovi orientamenti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell'anima moderna, nuova vocazione sociale del clero,* nuova civiltà cristiana, e simili. — I sacerdoti, specialmente i giovani, benchè sia lodevole che vadano

[1] 25 Gennaio 1897.

Digitized by Google

al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all'autorità e ai comandi dei Superiori ecclesiastici. E pure occupandosi, con la detta subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile còmpito « di « togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spi« rituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli « ad un vivere onesto e virtuoso: riaffermare gli adulti nella « fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla « pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato catto« lico quelle istituzioni, che si riconoscano veramente efficaci « al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; « propugnar sopra tutto i principî di giustizia e carità evan« gelica, ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti « e i doveri della civil convivenza.... Ma abbiano sempre « presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve « serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, « essendo egli posto a capo dei fratelli *animarum causa* [1]: « qualsivoglia maniera di occuparsi del popolo, a scapito « della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della « disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente « riprovata » [2].

Del resto, Venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare d'idee ed a questo dilatarsi di spirito d'indipendenza, colla Nostra autorità proibiamo d'oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi.

[1] S. Greg. M. *Regul. Past.* Pars. II, c. VII.
[2] Ep. Encycl. 8 Dec. 1902.

Digitized by Google

In modo poi più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici d'inabilità agli Ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione *ipso facto a divinis,* di ascriversi alla *Lega democratica nazionale,* il cui Programma fu dato da Roma-Torrette li 20 ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione Provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che, avuto riguardo alle condizioni presenti del Clero d'Italia, ed in materia di tanta importanza, esigeva da Noi la sollecitudine dell'Apostolico ufficio. — Ora altro non Ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, Venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni Nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra; estinguetelo con prontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio lo spirito di prudenza e fortezza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro, il 28 Luglio 1906, anno terzo del Nostro Pontificato.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

QVO PARS OPPIDI AD DIOECESIM VIGLEVANENSEM PERTINENTIS CVM DIOECESI PAPIENSI CONIVNGITVR

Quum sub initium saeculi elapsi, conventione inita Pedemontanum inter et Austriacum Gubernium, constitutum fuerit, ut duo regna ab invicem Ticino separarentur flumine, paroeciae non paucae Papiensis dioecesis, cuius territorium fere totum intra Austriacae ditionis fines reperiebatur, utpote quae citra Ticinum flumen sub Pedemontani Gubernii dominatione sitae erant, ad incommoda vitanda, quae haud raro ex diversitate inter ecclesiasticam et civilem locorum circumscriptionem oriri solent, ab eadem Papiensi dioecesi Apostolica auctoritate disiunctae fuerunt et Viglevanensi addictae. Inter has fuit etiam paroecia vulgo *Travacò Sicomazio* nuncupata cum parva territorii parte eidem adnexa atque *Costa Carogliana* dicta. Tractu autem temporis factum est, ut Ticinus flumen iis in regionibus suum cursum ita deflexerit, ut supradicta pars ab oppido *Travacò* disiuncta remanserit, atque Papiensis dioecesis territorio adhaeserit. Attamen cum ipsa civilibus in negotiis adhuc esset auctoritate municipali obnoxia oppidi *Travacò Sicomazio* nihil actum est, quo duarum dioecesium circumscriptio immutaretur. Nuper vero lege civili pars eadem ab oppido *Travacò Sicomazio* distincta fuit atque unita oppido quod *Vallis Salim-*

Digitized by Google

bene dicitur, quodque Papiensis dioecesis iurisdictioni subest. Eapropter qui partem ipsam incolunt apud R. P. D. Franciscum Ciceri Papiensem Praesulem institerunt, ut suam terram territorio paroecialis Ecclesiae dicti oppidi *Vallis Salimbene* quae a S. Leonardo nuncupatur, intra fines Papiensis dioecesis, aggregare vellet.

Papiensis autem Antistes, re prius acta cum R. P. D. Petro Berruti Viglevanensis dioecesis Episcopo, habitoque consensu tum Capituli cathedralis Viglevanensis, tum parochi oppidi *Travacò Sicomazio,* totum negotium Apostolicae Sedi subiiciendum censuit, atque litteris die xvi Iunii hoc anno datis, SSm̃um D. N. Pium PP. X humiliter exoravit, ut votis fidelium locum seu terram *Costa Carogliana* incolentium obsecundare benigne dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congregationis consistorialibus rebus exspediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, rei sacrae procurationi meliori, qua fieri potest, ratione consulere cupiens, attentis expositis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, oblatis precibus annuendum benique censuit, et de Apostolicae potestatis plenitudine partem seu portionem oppidi *Travacò Sicomazio* cui nomen *Costa Carogliana* cum omnibus et singulis in ea exsistentibus et commorantibus a territorio Viglevanensis dioecesis separavit et avulsit, eamque pariter ut supra cum omnibus et singulis in ea exsistentibus et commorantibus territorio paroeciae S. Leonardi Papiensis dioecesis aggregavit et addixit, ita ut pars seu portio praedicta iurisdictioni Papiensis Antistitis eiusque Successorum

Digitized by Google

in posterum sit subiecta, prout hactenus spirituali Viglevanensis Praesulis regimini subiecta fuit; cum clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ne ullum vero exinde fidelibus damnum obveniat, praecepit eadem Sanctitas Sua, ut documenta omnia dictam terram *Costa Carogliana* eiusque incolas respicientia a Cancellaria Viglevanensis dioecesis extrahantur, et debita forma Cancellariae dioecesis Papiensis tradantur, in ea in posterum servanda.

Ad praemissa demum exsequenda Beatitudo Sua deputare dignata est Virum Emum Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari, Mediolanensem Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta eidem obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem Consistorialem mittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, iussitque praesens hisce super rebus edi consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si super iisdem Litterae Apostolicae sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta referri mandavit Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die XXXI Iulii an. Domini DMCCCCVI.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus*.

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO
FRANCISCO LAARMANN, DOCTORI,
PRAESIDI COETVS CONVENTVI CATHOLICORVM GERMANIAE
ESSENDIENSI IN VRBE APPARANDO
ESSENDIAM

—

PIVS PP. X

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Legimus, laeto cum animo, quibus voluntatum sensibus ipse et collegae tui insistatis Congressui catholicorum Germaniae, Essendiensi in urbe, apparando. Et quoniam de rerum exitu coniicere fere licet e primordiis, spem minime levem e tua collegarumque fide et sollertia concipimus, futurum ut memorandis ceteris catholicorum Germaniae congressionibus, quum gravitate, dignitate numeroque sodalium, tum consiliorum efficacitate ac vi, iste etiam, qui proxime est habendus, Essendiensis conventus par exsistat. Filios e Germania Nostros ad eam scimus constantiam fortitudinemque fidei esse informatos, ut progrediens bonum debere per eos Religioni gigni non ambigamus. Progressionem enim indicant perpetuam celebrati per vos adhuc

Digitized by Google

coetus, annos amplius quinquaginta; quo quidem satis longo tempore docuit Germania nationes, oportere catholicos non tam verbis, quam actione decertare; strenueque pro Ecclesia qui contendant, summa etiam comparare rei publicae bona. Itaque sive vestrorum recordatione patrum, sive ipsa cuiusque vestrum virtute, splendidam de vobis ac de cogendo coetu fovere expectationem iubemur, exemplumque idcirco debere a vobis in universas proficisci gentes confidimus, unde christiana fides, sicubi languescat in orbe aut iaceat, quod quidem dolentissime conspicimus, excitata reviviscat. Placet autem delectam congressui sedem urbem Essendiam fuisse, quae nomen prae se fert duplici clarum incremento, id est vitae quum in religioso, tum in civili genere actuosae. Ea porro civitas, si tantum ad fluxas caducasque res valuit, quas tamen ominamur ei sine intervallo laetabiles, aeque certo multum ad animorum tuenda et amplificanda non caduca bona valebit, quod quidem propositum congressioni est. Quamobrem fervida pro concordi utilique conventus disceptatione vota nuncupamus, illudque conventuris edicimus, sic iis esse pro ubertate eventus enitendum, quasi novam Essendia gloriam ex eorum studio desideret. — Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae pignus, tibi Collegisque tuis, iisque universis, qui ad partecipandos congressus labores confluent, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die II Augusti MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DE ABOLENDA AVTONOMIA
DECANATVS SANCTI MICHAËLIS IN FORO
IN LVCANA ARCHIDIOECESI

PIVS PP. X

MOTV PROPRIO

Propositum urgentes, quod in suscipiendo Pontificatu maximo inivimus, instaurandi omnia in Christo, animadvertimus in Lucana Ecclesia rem esse de qua diligenter per Nos provideri oporteat, ut ipsius utilitati Ecclesiae consulatur. Decanatum dicimus Sancti Michaëlis in Foro, Decessorum Nostrorum auctoritate, de Archiepiscopi iurisdictione exemptum, proprioque iure administratum, cuius Decano, tamquam Ordinario, illud canonicorum Collegium et adiunctum Seminarium clericorum paret. Huiusmodi quidem exemptio quare induceretur olim, idoneas fuisse causas certo scimus: sed cogitatio Nos incommodorum movet, quae nec pauca nec exigua inde sunt anteacto tempore profecta; quaeque si in praesens, divino beneficio, sunt nulla, sane tamen est periculum, ne vel graviora in posterum, quam antehac, exsistant. Multo igitur satius esse videtur tamquam in possessionem suam ius commune restitui; nam redintegrata gubernationis unitate totius dioecesis, multo sunt salutaria secutura, hoc nominatim, ut eisdem praeceptis institutisque

Digitized by Google

conformati administri sacrorum, facilius inter se retineant eam, quae opus est ad sancti muneris officia rite utiliterque obeunda, concordiam. Quare, nihil equidem detrahentes de collegiatae ecclesiae dignitate, nihil de honorum insignibus et privilegiis canonicorum, Nos motu proprio autonomiam, qua Decanatus Sancti Michaëlis in Foro usque adhuc utebatur, abolemus; eamque collegiatam ecclesiam, Capitulum, Decanum, adiectamque Decanatui scholam seu Seminarium ordinariae iurisdictioni Archiepiscopi Lucani subiicimus. Praeterea, quod totius dioecesis utilitas vehementer exigit, eamdem Scholam seu Seminarium Seminario archiepiscopali in omnibus iuris et oeconomiae rationibus, quae ad gubernationem administrationemque spectant, perpetuo coniungimus. Quotquot igitur sunt, qui cuiusvis generis bona eidem Scholae sive Seminario Sancti Michaëlis legata assignatave, fiduciae titulo, possident, universos et singulos, sub poenis in iure canonico statutis, admonitos volumus, ea omnia bona tradant Archiepiscopo; cui Nos eisdem bonis utendi in commodum singularis Seminarii dioecesani potestatem facimus: remota quavis exceptione aut praetextu, abrogatis etiam deletisque consuetudinibus contrariis, nec obstantibus concessionibus aut decretis Decessorum Nostrorum, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die v Augusti MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GALLIAE

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gravissimo officii munere defungimur, eoque iamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicae Reipublicae Ecclesiaeque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitraremur. Equidem exspectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo et gravitas huius causae fecit, sed illa etiam singularis caritas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis, prosequimur. — Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime coepimus, ullamne demum eiusdem praescripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandae in Gallia religiosae rei, ut sacrosancta principia quibus Ecclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliae Episcopos adhibere in consilium universos; indictoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo con-

Digitized by Google

sultaretis, mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato *Patre luminum,* omnino videmus faciendum, ut quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causâ, lex constitui iubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari posse, quin sanctissima iura, quae ad vitam ipsam Ecclesiae pertinent, violentur. — Dimissis vero consociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientiâ officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminent tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo iure, id inire experimenti, ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem, incolumia per consociationes easdem et tuta semper fore: contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiae Gallicae conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentes ope, quacumque vos iura civitatis uti siverint, disponendo instruen-

Digitized by Google

doque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune iuvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadente Ecclesiae patriaeque vestrae amore, imponimus vobis onus: ceterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cuius tempestivum auxilium non defuturum Galliae, omnino confidimus.

Iamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta haec mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere populo: nequaquam Nos Ecclesiae Gallicae salutem spectasse tantum; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum: invisam Nobis esse in Gallia formam Reipublicae, eiusque evertendae Nos gratiâ velificari studiis partium: ea Nos abnuisse Gallis, quae non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quae, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, iam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. — Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque praesertim divinis Hierarchiae rationibus aliquo saltem modo consultum esset. Quod si quaepiam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei communis libertatis copiam fecerit, liberumque in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem

Digitized by Google

nomine iniuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia: ubi iniustae huius legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. — Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriae bellum atrox, iniectisque acerrimarum contentionum facibus, cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicae, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis huius et eorum quae secutura sunt, malorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero iudicio aestimaverit, quae Ipsi etiam in Litteris Encyclicis « *Vehementer Nos* » attigimus, diiudicabit, utrum Nos reprehendendi simus, qui, alias ex aliis perpessi iniurias toleranter, dilectae nationis causâ, ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse; an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidiâ ad haec usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque praestare volent, ita pro Ecclesia contendent, quemadmadum eos monuimus, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce iustitiae collocati, frangent aliquando inimicorum contumaciam: intelligant vero, quod diximus iam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se coniunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastae legis usu sententiam: sequantur, ut oportet, volentibus animis; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit,

Digitized by Google

caveant, obsecramus, ne quis quem propterea offendat, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum; et quo pacto his licuit nequissimam civitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et extinguere. — In tanto Galliae discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriae bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se coniuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiae Gallicae salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin Nostris satisfacturi sint praescriptionibus et votis, minime dubitamus: interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi Mariae Immaculatae, impense studebimus.

Auspicem caelestium munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, Vobis, Venerabiles Fratres, universaeque Gallorum genti Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
MICHAËLI FELICI, EPISCOPO TREVIRENSIVM
AVGVSTAM TREVIRORVM

PIVS PP. X

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Episcopum alacrem vigilantemque annos quinque et viginti in Episcopatu perfecisse, ista quidem talis est faustitas e qua non modo fideles et Clerus voluptatem percipiant, sed Nos etiam, in primis, gaudium hauriamus. Illos enim si ad habendam beneficiorum gratiam memoria movet paternae actuosaeque Praesulis industriae, qui, factus forma gregis ex animo, eos in Christo aluit, rexit, fovit, Nos item, ex hac suprema cathedra universo praepositos ovili Christi, consideratio operum Antistitis eiusdem permovet, suadetque munerari praemiis et laude Episcopi promerita. Tua ideo laetitia, Nostra aeque laetitia est; nobis namque utrisque quum, pro nostro cuiusque munere, concredita Trevirensium sit ecclesia, eadem plane praebetur ad consolandum animum caussa, ex eo derivata profectu, unde

Digitized by Google

tuam per hos annos dioecesim nobilitatam conspicimus. Quapropter pleno ex corde libentique voluntate tibi gratulamur, illudque vehementer gaudemus, non deesse tibi, sicuti iubet officium, a fideli populo et a sacro ordine significationes honoris atque eas singularem in modum praestantes. Honor tamen potissimus ac perennis et per se ipse valde eloquens e laboribus erumpit tuis atque ex omne genus institutis, quibus, post non laetabiles ecclesiae istius dies, aurora istic est excitata aevi iucundioris. Habeas igitur volumus, a Nobis etiam, pignus animi benevolentis plaudentisque, ob eamque rem quum antea publice profitemur participare Nos iubilares laetitias voluntate propensissima, tum eam tibi largimur gratiam ut quo die sollemnem memoriam es peracturus initi regiminis dioecesis tuae, populo possis auctoritate Nostra benedicere, ita quidem ut qui istiusmodi exceperint gratiam, Indulgentiam plenariam queant, servatis servandis, lucrari. Auspicem vero caelestium donorum Nostraeque dilectionis testem Apostolicam tibi Benedictionem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX mensis Augusti anno MDCCCCVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

CLARIS VIRIS
IOANNI MARSHALL LANG
PRAEFECTO ET VICECANCELLARIO CETERISQVE PRAESIDIBVS
VNIVERSITATIS STVDIORVM ABERDONENSIS
ABERDONIAM

—

PIVS PP. X

CLARI VIRI, SALVTEM

Egregia vos quidem floretis opinione studiorum: sed non minorem quam doctrinae, esse in vobis humanitatis laudem, vestrae Nobis declararunt communes litterae. Ex his gratissime vos affectos cognovimus erga Apostolicam Sedem ob vetera in gentem vestram merita Pontificum romanorum, qui nobilis istius Academiae auctores bonique fautores extitissent. Quam gratiam non satis vobis fuit privatim Nobis profiteri: cupitis in luce etiam ac celebritate hominum esse testatam. Itaque benigne Nos, ut per saecularia, quae appetunt, Academiae sollemnia participes laetitiae vestrae velimus esse, rogastis. Nos vero officium istiusmodi, tanto praesertim cum studio Nobis delatum, libentes amplectimur; ob eam quoque causam, quod ad illustrandam pertinet nativam romani Pontificatus vim, civilis ipsius cultus

Digitized by Google

effectricem. Instituto autem vestro ampliora in dies optamus incrementa: precamurque ex animo Deum, ut vestrorum studiorum dirigens cursum, vos in omni disciplinarum genere efficiat veritatis compotes, perfectaque Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV mensis Augusti, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

SVPREMAE S. CONGREGATIONIS S. OFFICII
DE IEIVNII ET ABSTINENTIAE LEGE IN ITALIA REFORMANDA

FERIA IV, DIE 5 SEPTEMBRIS A. 1906

Frequentes pluribus abhinc annis preces Italiae praesules ad Sedem Apostolicam dirigere consueverunt, quibus ecclesiasticae legis ieiunii et abstinentiae mitigationem temporum conditioni congruam pro dioecesi quisque sua petierunt. In quo temperamento efflagitando illud etiam intenderunt ut, uniformi vicinarum saltem regionum disciplina constituta, non levibus incommodis quae ex varia legis observantia sponte sua consequuntur, remedium afferretur.

Re penes Supremam hanc S. Officii Congregationem discussa, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, in plenario conventu habito feria IV, die 5 currentis mensis Septembris, haec statuenda decreverunt:

1.° In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unicae per diem refectionis, servandum erit:

Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

Digitized by Google

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum;

Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

2.° Praeter ieiunium, in cunctis (ut supra) Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

Feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima;

Feria sexta in Parasceve;

Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

3.° Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae;

Feriis sextis et sabbatis Adventus;

Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

Vigiliis: S. Ioseph Sponsi B. M. V.; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat; Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso ser-

Digitized by Google

vanda erit; ita ut liceat pro lubitu in principali refectione vesci ovis et lacticiniis, et tum in eadem principali refectione tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina (quam vocant) et similibus condimentis.

4.° Haec eadem abstinentia a carnibus tantum et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectionum facta distinctione quoad ovorum, lacticiniorum et condimentorum liberum usum.

5.° Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utrique consecratis, inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia, vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas (uti centenaria, piae peregrinationes et similia), vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

6.° Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servanda hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

7.° Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessiones, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla*

Digitized by Google

quidem *Cruciata* (ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget) excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant.

Et sequenti feria V, die 6 huius eiusdem mensis SSm̃us D. N. Pius divina providentia PP. X in solita audientia R. P. D. Adsessori huius Sacrae Supremae Congregationis impertita haec omnia et singula Sibi relata Suprema Sua auctoritate adprobare et confirmare dignatus est, mandans ad quos spectat, ut eadem, ad fidelium notitiam opportune deducta, inde a Dominica I Adventus currentis anni 1906 ad unguem servent atque ab omnibus servari satagant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 7 Septembris 1906.

Petrvs Palombelli, *S. R. U. I. Notarius.*

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
GEORGIO TIT. S. AGNETIS EXTRA MOENIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSIVM

ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
ARCHIEPISCOPO COLONIENSIVM

CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS REGNI BORVSSICI

PIVS PP. X

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vestrum Fuldensis urbis conventum et habitum prospere esse et ubere conclusum exitu fuisse, vestri nos docuerunt animi, tam probe Nobis et tam grate patefacti. Qui enim episcopi sic ad deliberandum de ecclesiae commodis accedunt, ut, implorata precibus benignitate Dei, nil velle sese consilii sequi et amplecti quod aut Spiritus non monstrarit Dei aut Pastoris Summi praescriptis non haereat, non equidem ambigimus quin graviter prudenterque disserant, et concorditer fructuoseque decernant. Magnam propterea spem, quemadmodum e peractis inter vos superiore

Digitized by Google

tempore coetibus, ita ex huius anni congressione hausimus, fore ut Ecclesia Borussiae ingens industriâ vestrâ incrementum accipiat, fidemque, qua apud omnes in laude est, et amplificare nitatur et cum fecundiore in dies actione coniungat. Vobis autem universis ac singulis memorem voluntatem testamur pro delato Nobis obsequio et pro solatii verbis precibusque, unde, in molestissimis tempestatis huius curis, animum levare Nostrum studuistis. Commune episcoporum erga Nos observantiae officium exemplo certe fidelibus vestris, egregie ceteroqui in Pontificem affectis, exsistet, sinetque istiusmodi etiam, sane non modicam, e Fuldensi congressu colligi utilitatem.

Testem dilectionis Nostrae, donorumque divinorum auspicem Apostolicam Benedictionem unicuique vestrum peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis Septembris, anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONSITORIALIS
QVO ECCLESIA B. M. VIRGINIS IMMACVLATAE DE OCOTLAN
IN ARCHIDIOECESI ANGELOPOLITANA
AD ECCLESIAE COLLEGIATAE HONOREM ET DIGNITATEM EVEHITVR

Deiparam Virginem ab Immaculata Conceptione Mexicanos maxima prosequi veneratione res est notissima. Siquidem non modo Eam sub titulo *De Guadalupe* in caelestem Mexicanae Reipublicae universae Praestitem solemniter elegerunt, sed et Ipsi, vel sub eodem, vel aliis sub titulis, non pauca dedicavere templa. Inter haec illud commemorare libet, quod non longe ab Urbe Tlascala, intra Archiepiscopalis Angelopolitanae Ecclesiae fines, Beatae Mariae absque originali labe conceptae sub titulo *de Ocotlan* sacrum existit, quodque vetustissimum ferunt, eodemque ferme tempore extructum, quo catholica Religio in Mexicana Regione propagari coepit. Sacrae huic Aedi, quae structura, ornatus magnificentia et splendore sacrarumque supellectilium copia praestat, perampla adnexa est domus, in qua, praeter Sacerdotes divinis in sacra ipsa aede ministeriis obeundis addictos, adolescentes quoque commorantur, qui Ecclesiae servitio sese mancipare cupiunt, praetereaque Clerici qui, sacris expletis

Digitized by Google

studiis, pastoralem, uti aiunt, theologiam excolunt, ut sacris Ordinibus recipiendis sese praeparent.

Cum Templum Deiparae *De Ocotlan* sacrum, piis fidelium largitionibus, qui ad ipsum, ex dissitis quoque regionibus, pientissimae Matris opem imploraturi se conferunt, redditibus sat affluat; cumque in eo a Cappellanis Clericisque divinae laudes quotidie iam recitentur, Sacrumque pro benefactoribus fiat, R. P. D. Iosephus Raymundus Ibarra, metropolitanae Ecclesiae Angelorum Archiepiscopus, quo melius ac aptius servitio templi eiusdem etiam in posterum consuleretur, litteris ad Apostolicam Sedem die XIV Iulii hoc anno datis, pro eximia sua erga Immaculatam Dei Genitricem *De Ocotlan* pietate, SSm̃um D. N. Pium PP. X humiliter exoravit, ut Templum ipsum ad Collegiatae Ecclesiae honorem et dignitatem Apostolica auctoritate evehere benigne dignaretur.

Sanctitas Sua, ad mei infrascripti Sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituti relationem, cunctis, quae consideranda erant, matura deliberatione perpensis, quod bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae, fideliumque pietati erga Deiparam Immaculatam sub titulo *De Ocotlan* fovendae benevertat, Angelopolitani Archiepiscopi vota benigne excipere dignata est, et ea quae sequuntur, statuere ac decernere.

I.

Beatitudo itaque Sua in primis, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Ecclesiam honori B. Mariae Virginis

Digitized by Google

ab Immaculato Conceptu sub titulo *De Ocotlan* non longe ab Urbe Tlascala, intra Archidioecesis Angelopolitanae fines, dicatam, Apostolica auctoritate ad Ecclesiae Collegiatae honorem et dignitatem, sub invocatione et titulo eiusdem Beatissimae Virginis Mariae absque originali labe conceptae *De Ocotlan* cum Capitulo, Stallo, Choro, Mensa capitulari, Sigillo aliisque signis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, concessionibus et gratiis, quibus ceterae Collegiatae Ecclesiae in Mexicana Republica exsistentes iure, usu et consuetudine fruuntur et gaudent, iis tamen exceptis privilegiis, quae ex indulto particulari aut oneroso titulo sint acquisita, evehit atque extollit, eidemque in dotem redditus omnes et bona constituit, quibus actu ipsa potitur, aliaque omnia, quae pia fidelium liberalitas in hunc finem in posterum conferet.

II.

In eadem Ecclesia, ad Collegiatae dignitatem, ut supra, evecta, Sanctitas Sua unam constituit praebendam Abbatialem, quae prima et unica erit Capituli dignitas; ita ut qui eam obtineat, tam in Choro et Capitulo, quam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus praesit et praeeminentiam habeat, nullo tamen, praeter titulum, abbatiali alio insigni aut privilegio gaudeat, nullaque fruatur iurisdictione; itemque undecim alias canonicales praebendas instituit atque erexit, eademque beneficia, servatis Apostolicis Constitutionibus, ac sartis tectisque Cancellariae legibus conferri mandavit.

Digitized by Google

III.

Ecclesiae Collegiatae Abbati et undecim Canonicis tali modo constitutis Sanctitas Sua onus imposuit apud Collegiatam personaliter residendi, horas canonicas omnes tam diurnas quam nocturnas quotidie recitandi, itemque Missam conventualem pro benefactoribus alternatim celebrandi; quibus vero festis diebus Missa haec erit solemniter celebranda, Exsecutor huius Decreti infra designandus statuet.

IV.

Capitularium deinde congruae sustentationi et onerum implemento ipsis incumbentium eadem Sanctitas Sua prospicere cupiens, decrevit, ut ipsi singuli singulis mensibus ex Ecclesiae redditibus scutata quadraginta seu biscentum libellas percipiendi ius habeant. Caveat insuper Decreti huius Exsecutor, ut ex Ecclesiae redditibus, nisi aliter iam provisum fuerit, certa quaedam pars Ecclesiae ipsius Sacrario eiusque Fabricae tribuatur, pro necessariis expensis et reparationibus.

V.

Praeter choralia ministeria, Beatitudo Sua Abbati aliisque Canonicis munus pariter commisit ad disciplinas erudiendi Clericos utriusque Seminarii in domo Templo adnexa commorantes, eademque Seminaria moderandi, statuta tamen pro hisce muneribus congrua retributione, a canonicalibus praebendis prorsus distincta, quamque Exsecutor decernet.

Digitized by Google

VI.

Exsecutori pariter curae erit, ad normam Sacrorum Canonum, ea omnia decernere, quibus recto Collegialis Capituli ordini et Collegiatae Ecclesiae ministerio sit consultum; distributiones praesertim aut mulctae, secundum Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, statuendae per Ipsum erunt, quibus Canonici ad munus suum diligenter obeundum alliciantur; eaeque e praebendarum redditibus desumentur.

VII.

Collegiali vero Capitulo ita evecto Sanctitas Sua facultatem quoque fecit statuta et Decreta, sacris tamen Canonibus, Sacrosancto Tridentino Concilio et Apostolicis Constitutionibus consona, quae eiusdem Collegiatae Ecclesiae regimen bonorumque administrationem respiciant, non minus ac onerum implementum et Chori disciplinam, poenarumque praesertim per absentes vel negligentes contrahendarum impositionem, edendi atque condendi, eaque condita atque edita denuo corrigendi et declarandi, sub praesidentia tamen ac praevia Angelopolitani Archiepiscopi pro tempore adprobatione.

VIII.

Ad divini vero cultus splendorem et Collegialis Capituli decorem augendum atque in obsequium erga Beatissimam Virginem Immaculatam, Beatitudo Sua Abbati et Canonicis benigne indulsit, ut in sacris functionibus et publicis sup-

Digitized by Google

plicationibus, intra limites tamen Angelopolitanae Archidioecesis, ipsi vestem talarem nigram, oris et globulis caeruleis ornatam, zonam item caeruleam et penulam seu mozzettam sericam super rochettum pariter caeruleam, nec non flocculum caeruleum in pileo et bireto licite ac valide gestare possint ac valeant, servatis tamen Apostolicis Constitutionibus ac praesertim ritualibus dispositionibus.

IX.

Ad praemissa demum exsequenda Sanctitas Sua deputari voluit R. P. D. Raymundum Ibarra et Gonzalez, Metropolitanae Ecclesiae Angelorum Archiepiscopum, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super qualibet oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, et cum mandato transmittendi, intra sex menses, ad Sacram hanc Congregationem exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, et praesens hisce de rebus edi iussit consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si super iisdem Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die VIII Septembris an. Domini MCMVI.

Pro R. P. D. Secretario
Ivlivs Grazioli
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

Digitized by Google

LETTRE

À NOS TRÈS-CHÈRES FILLES
LOUISE DE REYNOLD PRÉSIDENTE
ET BARONNE DE MONTENACH VICE-PRÉSIDENTE
DE L'ASSOCIATION CATHOLIQUE INTERNATIONALE
DES ŒUVRES DE PROTECTION DE LA JEUNE FILLE

Nos très-chères Filles,

Nous avons reçu avec une vive consolation le Compte-rendu de vos travaux, et Nous sommes persuadés que l'Assemblée Générale convoquée à Paris pour le mois d'Octobre prochain en assurera les développements.

Votre titre d'*Œuvre Catholique* proclame les principes sacrés, les bases immuables sur lesquelles vous entendez appuyer votre zèle, et l'unité de direction pratique à laquelle vous tenez à le subordonner dans son exercice. Mais ce caractère catholique, parce que vous le savez bien entendre, loin de rétrécir d'une manière jalouse votre champ d'action, est fait pour vous y assurer de plus heureux, de plus profonds, de plus durables résultats. Vous acceptez avec reconnaissance tous les concours sincères, vous étendez votre compassion à toutes les faiblesses, et vous tendez une main secourable à tous les besoins, dans l'ordre matériel et moral toujours, dans l'ordre religieux autant que la condition des personnes vous le permet.

Digitized by Google

Puisse cet esprit large et vivifiant, cette sagesse de vues, cette miséricorde inépuisable non seulement se maintenir parmi vous, mais se développer, à mesure que s'étendront les cadres de votre personnel et le nombre de vos agrégations. Ainsi procurerez-vous le bien des peuples, la consolation de l'Eglise et l'augmentation quotidienne de vos propres mérites.

C'est dans cette confiance que Nous vous donnons de grand cœur, pour vous, Nos très chères Filles, pour tous vos associés, pour toutes les ramifications de votre belle œuvre, et en particulier pour la prochaine réunion générale, la Bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican, le 19 Septembre 1906.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS
QVO INSVLAE MARIANAE
A CAEBVANA DIOECESI SEPARANTVR
ET IVRISDICTIONI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
SVBIICIVNTVR

Inter Insulas trans Oceanum, quae paucos ante annos Hispanici Regni dominationi adhuc suberant, eae quoque accensebantur, quae non longe a Philippinis, Orientem versus sitae, Marianae appellantur. Hae Insulae, quarum tresdecim maiores numerantur, saeculo sextodecimo sub Carolo V Hispaniarum Rege ab exploratore Heruando de Magalhanes detectae fuere. A latronibus qui in eas sese recipiebant, ipsae primitus sunt nuncupatae, quod nomen in aliud postea quo nunc designantur, immutatum est.

Cum enim anno MDCLXV Didacus Aloisius de Sanvitores e Societate Iesu a Philippo Hispaniarum Rege IV facultatem obtinuisset ad Latronum insulas, Evangelii nunciandi causa, sese conferendi, atque in civitate Agaña, quae insulae *Guam* nuncupatae, aliarumque omnium caput etiam in praesens est, Ecclesiam et Collegium ad pueros christianis moribus imbuendos, subsidiis praesertim adiutus Reginae Mariae, instituisset, insulas ex liberalissimae eiusdem Reginae nomine Marianas appellandas statuit. Sancti huius viri opera et studio christiana Religio apud Marianos tam laeta brevi habuit

Digitized by Google

incrementa, ut duorum annorum spatio non in Insula *Guam* solum, sed et alibi, *Tinian* nempe, *Merizo, Pagat, Pigput* et *Ninchan* sacrae aedes erigi potuerint.

Sed inter haec cum quidam idololatra, Cino nomine, in odium christianae fidei hoc etiam inter alias insimulationes crimen in Missionarios finxisset, quod infantes ideo baptizarent, ut eos morte afficerent, gravi exorta contra ipsos insectatione, prius in Insula *Suipan* interfectus est Aloisius de Medina eiusdem Societatis Iesu sodalis, ac non multo post, anno nempe MDCLXXII ipse Didacus de Sanvitores lancea transfossus gloriose occubuit, easque insulas suo sanguine dicavit, quas Christo lucrifacere susceperat.

Exinde catholica Religio latius propagari coepit, adeo ut anno MDCCLXVII, quo Patres e Societate Iesu Marianas Insulas deserere coacti sunt, omnes fere earum incolae christianam fidem amplexati fuerint.

Sodalibus e Societate Iesu in spirituali harum Insularum regimine successere deinde Patres Recollecti, donec anno MDCCCXIV Insulae eaedem ab Apostolica Sede Caebuani Episcopi iurisdictioni suppositae fuere.

Cum vero nuperrimis hisce temporibus contigerit, ut ob politicas perturbationes tum Philippinis tum Marianis in Insulis enatas civile istarum Insularum dominium partim a Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis fuerit obtentum, partim ab Imperio Germanico, Summus Pontifex Leo f. r. PP. XIII, ne ex nova hac rerum conditione, religiosae res quid detrimenti caperent, Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris, quarum initium « *Quae mari sinico* », die XVII Septembris anno MCMII datis, easdem Marianas Insulas a Cae-

Digitized by Google

buanae dioecesis territorio seiungere, atque Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni subiicere in Apostolicam Praefecturam in posterum erigendas, constituit.

Quod quidem cum rerum adiuncta quominus executioni demandaretur usque adhuc prohibuissent, SSm̄us D. N. Pius PP. X, summa rei utilitate perspecta, statutam separationem diutius differendam non esse censuit.

Ideoque quod bonum, faustum felixque sit, Religioni reique sacrae procurationi in Marianis Insulis meliori rationi ordinandae benevertat, Sanctitas Sua easdem Marianas Insulas de Apostolicae potestatis plenitudine, cum omnibus et singulis in ipsis existentibus et commorantibus a Caebuanae seu Nominis Iesu dioecesis territorio separavit et seiunxit, easque in Apostolicam Praefecturam, ubi primum opportunum fuerit, erigendas, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni subiecit et submisit; cum clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa vero exsequenda Beatitudo Sua deputare dignata est R. P. D. Ambrosium Agius, ex Ordine S. Benedicti, Archiepiscopum tit. Palmyrenum atque in Insulis Philippinis Delegatum Apostolicum extraordinarium, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione ad Sacram hanc Congregationem intra sex menses mittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, iussitque

Digitized by Google

praesens hisce super rebus edi consistoriale decretum perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub anulo Piscatoris vel sub Plumbo expeditae fuissent, et inter acta referri Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die I Octobris an. Domini MCMVI.

Pro R. P. D. SECRETARIO
IVLIVS GRAZIOLI
S. C. Consistorialis et S. Collegii *Substitutus.*

Digitized by Google

BVLLA SEV LITTERAE APOSTOLICAE

EXTINCTIONIS INSTITVTIONIS TRANSLATIONIS QVARVNDAM PAROECIARVM

VIDELICET

EXTINCTIONIS PAROECIARVM

SANCTAE MARIAE MAGDALENAE

SANCTAE MARIAE MONTICELLIANAE

INSTITVTIONIS PAROECIARVM

SANCTORVM PETRI ET MARCELLINI

SANCTAE MARIAE ANGELORVM

SANCTAE CRVCIS IN AEDIBVS SESSORIANIS

TRANSLATIONIS PAROECIARVM

SANCTORVM CELSI ET IVLIANI AD S. IOANNEM FLORENTINORVM

SANCTI ANGELI IN FORO PISCARIO AD S. LAVRENTIVM IN LVCINA

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Susceptum, Deo inspirante, negotium paroecias ordinandi per Urbem opportunius tempori, etsi sensim pro adiunctis rerum, constanter tamen apostolica providentia prosequimur. Propterea, cum se maturitas modo offerat aliquid in re tam gravi atque utili ulterius constituendi, alias his Nostris litteris abolere, alias ab inchoato instituere, alias transferre alio curias decretum est. — De Nostrae igitur

Digitized by Google

potestatis plenitudine paroecias binas, alteram ad Sanctae Mariae Magdalenae in platea cognomine, alteram ad Sanctae Mariae Monticellianae, extinguimus penitus. Redditus vero earum binis aliis suo tempore erigendis, destinamus. — Porro paroecias novas instituimus ternas, alteram ad Sanctorum Petri et Marcellini in via Merulana; alteram ad Sanctae Mariae Angelorum in Thermis, utramque pro clero saeculari; alteram ad Sanctae Crucis in Aedibus Sessorianis. In harum vero tuitionem, bona, redditus ac iura quaevis transferimus et attribuimus, quae trium aliarum paroeciarum huc usque extiterunt; videlicet, ex ordine, Sancti Laurentii in aedibus Lucinae, Sancti Ioannis nationis Florentinorum, Sancti Bernardi ad Thermas. — Postremo ius parochiale, cum bonis omnibus ac redditibus, necnon collegium canonicorum, quod ad hanc diem obtinuit in Basilica SS. Celsi et Iuliani; itemque quod in Aede S. Angeli in Foro piscario; transferimus utrumque, illud quidem ad templum Sancti Ioannis Florentinorum, hoc autem ad Sancti Laurentii in Lucina.

Quia vero ad S. Ioannis Florentinorum suam obtinet sedem Sodalitas confratrum Florentinae gentis; relationes et iura inter eandem Sodalitatem et Collegium Canonicorum eo transferendum peculiari pacto definientur et decernentur, illudque Nos Auctoritati Nostrae Apostolicae confirmandum et sanciendum reservamus.

Porro ad Sanctum Laurentium in Lucina quod attinet, cum praefatis Nostris dispositionibus, extinctionis videlicet, translationis et attributionis, obstent Litterae Apostolicae Pauli V Decessoris Nostri fel. rec. « *In Apostolicae dignitatis*

Digitized by Google

culmine »: Nos, maius atque uberius animarum bonum spectantes ac desiderantes, eisdem Pauli V litteris, quas hic de verbo ad verbum veluti insertas haberi volumus, de certa scientia et de plenitudine potestatis Nostrae derogamus, easdemque, in quantum praedictis extinctioni translationi et attributioni obstant, cassamus, retractamus ac veluti non datas in posterum habendas esse mandamus. — Clericis autem minoribus qui antehac parochiale munus ad Sancti Laurentii in Lucina gesserunt, templum atque aedes Sancti Angeli in Foro piscario, animarum tamen cura suppressa, concedimus. Ad fines quod spectat quibus praedictae paroeciae contineri debeant, et ad cetera omnia, quae executio huius voluntatis Nostrae postulat, potestatem facimus Dilecto filio Nostro Cardinali vice sacra Antistiti Urbis, Nostro nomine statuendi.

Praesentes vero Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes, etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda

Digitized by Google

firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero Transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis institutionis et translationis derogationis decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei

Digitized by Google

ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Nongentesimo Sexto, IX Kal. Novembris Pontificatus Nostri anno quarto.

A. CARD. DI PIETRO
PRO-DATARIVS.

R. CARD. MERRY DEL VAL
A SECRETIS STATVS.

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

V. CVGNONIVS.

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
COLONIENSIVM ARCHIEPISCOPO
COLONIAM AGRIPPINAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod felices exitus sortitus fuerit catholicorum Germaniae conventus Essendiae habitus superiori Sextili mense, id non una tantum ex parte comperimus, ac in primis ex iis quae coram diserteque retulit Ven. Frater Noster Praenestinus Episcopus, zelum et actuosam Germanorum sollertiam testatus. Opinionem, quae firma iamdiu Nostro inerat animo de gravitate filiorum qui Germaniam incolunt, firmiorem adhuc reddidit notitia disceptationum quae in Essendiensi conventu habitae sunt. Haud tamen minor delectatio fuit quam hausimus ex proposito iterum iterumque prolato, quo actionem religiosam Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam velle catholici e Germania orti declararunt. Haec quidem obedientia uti diuturna experientia constat, peramplam et

Digitized by Google

integram, licet aliter nonnulli oblatraverint rei veritatis ignari, cuique relinquit libertatem quoad ea quae religionem non attingunt, ideoque eam gignit singulorum animorum concordiam quae, a singulis ad societatem progrediens, sociale firmat bonum duplici coalescens elemento, religioso scilicet ac civili. Hoc valde probari visum est Augustissimo Imperatori ac Regi qui grati et benevolentis animi sensa professus est erga eos qui, ortu Ipsi, relligione autem Nobis subditi, statim ac Essendiam convenissent quum Ipsum tum Nos obsequio prosecuti sunt. Laetitiam igitur, quam ex Essendiensi conventu profitemur haustam, Tibi, dilecte Fili Noster, testatam volumus, ac per te clero populoque archidioeceseos tuae, cunctisque Nostris e Germania filiis qui ad participandos praefati Congressus labores multiplici sane modo confluxerunt. Grati insuper animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae testis sit Tibi ac illis Apostolica Benedictio, quam caelestium munerum auspicem Vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Octobris anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO S. R. E. PRESBYTERO CARD. GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
FOEDERATARVM AMERICAE SEPTENTRIONALIS CIVITATVM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Absolutis, ut accepimus, ferme aedibus, quas Delegatus Apostolicus Washingtoni posthac habebit sibi proprias ad incolendum, libenter facimus, ut per has litteras benevolentissimum vobis animum Nostrum testemur. Vos enim, quum Delegatum Nostrum videretis paullo habitare angustius, quam deceret eum qui Nostram apud vos personam sustinet, subveniendum hac quoque in re tenuitati Sedis Apostolicae decrevistis; ultroque collata pecuniae copiâ, honestius ipsi commodiusque domicilium comparastis. In quo vestra non solum laudanda liberalitas est; sed etiam et praecipue studiosa voluntas erga Pontificem Romanum, cuius dignitatem maximae vobis esse curae ostendistis. Quare gratias vobis quidem agimus pro tributo Nobis officio singu-

Digitized by Google

lares; peramplas autem referat, precamur, Christus Dominus, cuius Nos, nullo Nostro merito, gerimus vices; actuosamque virtutem vestram ad laetiora quotidie incrementa Ecclesiae, lectissimis gratiae suae muneribus, promoveat. Horum auspicem, et peculiaris Nostrae benevolentiae testem vobis, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, itemque vestro cuiusque Clero ac populo Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Novembris anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO

HENRICO GARRIGVET

SACERDOTI

MODERATORI CONSOCIATIONIS SVLPICIANAE

PIVS PP. X

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Litterae, quas nuper ad Nos dedisti, lectu Nobis iucundissimae fuere. Perspicue namque ex illis agnovimus in Sulpiciana Consociatione Conditoris vestri proposita manere integra, devotionem praesertim erga Apostolicam Sedem, quaeque inde ortum habet obedientia atque caritas. Gratulamur equidem Tibi, quod in difficili munere, quo fungeris, hoc plane laboris et curarum solatium capis. Gratulamur pariter Nobis, quod Apostolicae auctoritatis strenuos in vobis adsertores habeamus. Moderandorum vero Seminariorum provincia, quae vobis obtigit, egregiam profecto opportunitatem praebet ad studium istud erga Christi Vicarium latius in sacro clero propagandum. Id porro curari a Vobis impense novimus, et promeritam idcirco laudationem ex animo impertiri libet. At pergite, hortamur, hanc patriae vestrae, et

Digitized by Google

clero imprimis praestare gratiam. Nam et clerus eo validior quo Petro coniunctior; et patria vestra, uti praeteritorum temporum monumenta testantur, eo felicior atque clarior quo magis Apostolicae Sedi addicta atque obediens. — Tibi interea, Dilecte Fili, universisque Sulpicianis sodalibus caritatem Nostram iterum testamur, eiusque pignus, simulque auspex divinorum munerum sit Apostolica Benedictio, quam omnibus, effuso corde, impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Novembris anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII

DE EXCARDINATIONE ET SACRA ORDINATIONE

—

Decreto diei 20 mensis Iulii 1898, quod incipit *A primis,* Emi S. C. Conc. Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt:

« I. *Excardinationem* fieri non licere nisi iustis de causis, « nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia « dioecesi executioni demandata.

« II. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non ore- « tenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est « nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; « ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, prae- « stito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio « " *Speculatores* " pro domicilio acquirendo praescribit.

« III. Ad hanc *incardinationem* deveniri non posse, nisi « prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum « a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta « insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si « opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis oppor- « tuna testimonia.

Digitized by Google

« IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines « promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, « officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus per« pendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, « qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an « potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod « sicut " nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non « sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis " ut in *cap. 16,* « *sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum « esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate « aut commoditate dioecesis.

« V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, « oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et seve« rius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisi« verint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint « secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus infor« mationem, onerata super hoc graviter Episcoporum con« scientia.

« VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, « qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, « standum esse dispositionibus Const. " *Speculatores* ", quae, « nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper « manere debent ».

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum

Digitized by Google

adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur; et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis « *Speculatores* » praescripta.

Porro evulgato decreto « *A primis* », de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSm̃i quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Em̃i Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas Sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen:

1.° Dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2.° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt, et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto « *Vetuit* » diei 22 Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3.° Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis « *Speculatores* » requisitum, praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum

Digitized by Google

esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSm̃o D. N. Pio Papae X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em̃orum Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 24 mensis Novembris 1906.

† VINCENTIVS CARD. EP. PRAENESTINVS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

Digitized by Google

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPH TIT. S. MARIAE ANGEL. IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARD. GRVSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIVM
VINDOBONAM

PIVS PP. X

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Magnam illud voluptatem Cordi Nostro comparavit, Archiepiscopos et Episcopos Austriae e Vindobonensi conventu, quem Nostri etiam auspicii felicitate praeeunte peregerunt, cogitatione et animo Personam Nostram esse complexos datisque nomine tuo litteris, gratulandi attulisse caussam variam et multiplicem. Quo quidem in perurbano officio amorem in primis probavimus, voluntates erga Nos informantem vestras: propositum deinde laudavimus omnia servandi fideliter, quae sint documentis commonstrata Nostris: studium postremo vehementer placuit, a vobis sedulo impensum ut quae adhuc praecepta per Nos sunt ad amplificandum religionis bonum, usui adiungeritis. Opera ista consiliaque universa meritam a Nobis praedicationem et

Digitized by Google

merentur et habent; quippe si gratum est percepisse iam fructus, haud minus iucunde contingit posse alere ferendarum spem utilitatum.

Hoc autem e frugiferis propositis vestris eligimus quod maiore contentione flagitemus, scilicet ut a sacra iuventute recentius sentiendi cogitandique morem arceatis, religioni, auctoritati, institutioni adolescentium adversissimum. Omnia vero, quae deliberando spectastis aut praecepistis, fortunet propitie abundeque Deus: votorum in eo summa est ex animo Nostro profluentium. Testem propensissimae voluntatis et pignus caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi, Collegis per Austriam tuis, populisque cuique vestrum concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI, mensis Novembris anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIVS PP. X

Digitized by Google

DECRETVM

SANCTAE ROMANAE ET VNIVERSALIS INQVISITIONIS

Feria IV die 5 Decembris 1906.

Mariavitarum sacerdotum secta quae ab aliquot annis nonnullas Poloniae dioeceses infeliciter infestat, in eam paullatim devenit obstinatam pervicaciam et insaniam, ut iam Apostolicae Sedis postulet extremas coërcitiones. Haec enim secta, cum in exordiis suis simulasset singulare studium gloriae divinae, mox spretis Episcoporum suorum monitionibus et correctionibus, spretis ipsius Summi Pontificis primum paternis adhortationibus, tum severioribus comminationibus, spretis quoque censuris in quas non unam ob causam inciderat, tandem ecclesiasticae auctoritati se penitus subduxit, agnoscens pro capite foeminam quandam Feliciam, alias Mariam Franciscam Kozlowska, quam sanctissimam matrem dicunt, SS. Dei Genitrici sanctitate parem, sine cuius patrocinio nemo salvus esse possit, et quae delegavit Ioannem Kowalski, ut suo nomine tanquam Minister generalis totam Mariavitarum societatem regat. Cum igitur constet praedicta totius societatis capita, Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam Kozlowska, etsi iterum iterumque monitos in suis perversis doctrinis et molitionibus quibus simplicem

Digitized by Google

multitudinem decipiunt et pervertunt, obstinate persistere, atque in censuris in quas inciderunt sordescere, haec Sacra Suprema Congregatio S. R. U. I. de expresso SSmi Domini Nostri mandato, ne quis, cum detrimento salutis aeternae, ulterius *communicet operibus malignis* Ioannis Kowalski et mulieris Kozlowska, declarat atque edicit dictum sacerdotem Ioannem Kowalski memoratamque foeminam Mariam Franciscam Kozlowska, *nominatim ac personaliter* maiori subiacere excommunicationi, ambosque, e gremio Ecclesiae Sanctae Dei penitus extorres, omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ideoque Ioannem Kowalski et Mariam Franciscam esse *vitandos* ac *vitari debere.*

Committit insuper RR. PP. DD. Varsaviensi Archiepiscopo, Plocensi, Lublinensi, Kielcensi aliisque, quorum forte interest, Episcopis Polonis, ut, nomine ipsius Sanctae Sedis, declarent singulos et omnes respectivae suae dioeceseos sacerdotes infami sectae Mariaviticae adhuc addictos, nisi infra viginti dies, ab ipso praesentis intimationis die computandos, sincere resipuerint, eidem excommunicationi maiori, personali et nominali, pariter subiacere eademque ratione vitandos esse.

Praelaudati vero Praesules magis ac magis satagant e grege suo fideles, a sacerdotum Mariavitarum insidiis ac mendaciis misere deceptos, admonere non amplius Ecclesiae Sanctae Dei genuinos esse posse filios quotquot damnatae sectae Mariaviticae scienter adhaereant.

Petrvs Palombelli
S. R. et Univ. Inquisitionis Notarius.

Digitized by Google

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE VI DECEMBRIS ANNO MDCCCCVI

—

VENERABILES FRATRES

Nobis cum animo reputantibus quid hodie potius cum amplissimo coetu vestro communicaremus, nihil occurrit, quod sollicitos magis habeat, nisi ea acerbior in dies rerum atque hominum calamitosa procella, qua catholicum nomen miserrime affligitur. Equidem hoc maxime tempore Ecclesia sancta naviculae illi est verissime comparanda, quae in medio mari operiebatur fluctibus. Attamen minime nutat fides Nostra; quin imo firmissime persuasum est, nunc quoque nobis adesse Christum, qui maturo opitulandi momento, surgens imperet ventis et mari, atque optata fiat tranquillitas magna. Interea, Venerabiles Fratres, tametsi magnis premimur aerumnis, solatium non deest Nobis, grande illud quidem planeque mirandum, quodque vel ipsi stupent catholicarum partium osores. Concordiam inquimus singularem, qua universus coalescit Episcoporum ordo, atque Nobiscum est coniunctissimus. Una enim omnium est conspiratio, unus consensus cum Pastore summo, Christi in terris Vicario; ut nemo sit illorum, qui insigne illud Augustini verbum iterare non gaudeat: *Roma loquuta est, caussa finita est.* Sicubi vero

Digitized by Google

turbulentis inimicorum ausibus sacrorum Antistites acrius vexantur; eo ceterorum Episcoporum videmus oculos animosque converti addereque fratres fratribus solatia afflictis, ut scilicet malis ne cedant, sed stent fortiores tortoribus. — Pater sancte, qui illos posuisti regere Ecclesiam tuam, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis eorum!

Utinam porro ad praeclarissimum hoc Episcoporum suorum exemplum catholicus etiam populus componatur ubique! Id utique toto Nos pectore exoptamus, id toto nisu hortamur, ut fideles suis omnino consentiant pastoribus, nihilque antiquius habeant, quam illorum nutu duci suasuque moveri. Postulat hoc quidem christiani nominis officium; sed postulat modo impensius religionis bonum; ut videlicet, ubi christianae rei oppugnatio iam premit, constanti fortitudine superetur; ubi vero parantur religioni infesta, catholici, partium studiis animorumque dissensionibus generose depositis, quidquid leges sinunt nec christiana conscientia prohibet, id totum audeant ut ea feliciter avertantur.

Haec ad commune solatium atque ad animos excitandos visum est significare: nunc vero officium exigit, Venerabiles Fratres, ut nonnullarum viduitati ecclesiarum, imprimisque inclitae Sedi Patriarchali Hierosolymitanae latinae, quae per obitum Venerabilis Fratris Ludovici Piavi vacat, provideamus. Ad quam, re mature perpensa, Venerabilem Fratrem Philippum Camassei, Archiepiscopum Naxiensem, destinare placuit. — Quae huius antistitis in Apostolicam Sedem sit voluntas, quae sint multarum ornamenta virtutum fusius prosequi non opus est. Curiae Vicarii Pontificis Maximi in Urbe primum navavit operam, matrimoniis fidelium rite ordi-

Digitized by Google

nandis praefectus. Tum vero, per annos quindecim, Collegio Urbaniano Rector cum laude praefuit, inter Pontificiae Domus Antistites merito cooptatus. Illum demum, ante annos duos, Archiepiscopatu Naxiensi Nos ipsi auximus. In quo administrando quoniam egregie se probavit, de eo ad latinum Hierosolymitanum Patriarchatum evehendo cogitavimus. Quare auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, electionem facimus de persona praedicti Philippi Camassei, quem absolvimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiae Naxiensis, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam latinam Hierosolymitanam, praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae latinorum, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur; contrariis quibuscumque non obstantibus. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Digitized by Google

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONCILII
DE S. COMMVNIONE INFIRMIS NON IEIVNIS

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die xx mensis Decembris MDCCCCV, concessasque a SSmo D. N. Pio PP. X die xxx mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis* et *Orbis,* die XIV mensis Februarii MDCCCCVI a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucha-

Digitized by Google

ristiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSm̃um Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die VII mensis Decembris MDCCCCVI.

† VINCENTIUS CARD. EP. PRAENESTINUS, *Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

Digitized by Google

DECRETVM

S. RITVVM CONGREGATIONIS
DE VSV LINGVAE SLAVONICAE IN SACRA LITVRGIA

Acres de liturgico palaeoslavi seu glagolitici sermonis usu controversias, quae diu iam in provinciis Goritiensi, Iadrensi et Zagrabiensi dioeceses plures commoverunt, compositas atque adeo sublatas omnino esse oportuit, post ea quae Sacrum hoc Consilium itemque illud extraordinariis Ecclesiae negotiis praepositum, Pontificis Maximi nomine et auctoritate decreverat. Sed tamen nondum ipsas conquievisse dolendum est; siquidem hic sermo etiamnunc multifariam contra praescriptum usurpatur in perfunctione sacrorum; id quod non modo magnam affert et admirationem et offensionem pietati publicae, verum, cum gravi etiam caritatis pacisque christianae detrimento, Christi fideles fidelibus, vel intra domesticos parietes, hostiles facit.

Tanta obtemperationis debitae oblivio quantae sit aegritudini SSm̃o D. N. Pio PP. X, facile aestimari potest; Isque, Apostolici officii sui esse intelligens, huiusmodi controversiis imponere finem, nuper huic Sacrae Congregationi mandavit, ut, datis ad Rm̃os Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios ceteros provinciarum memoratarum litteris, quaecumque Decreto diei v Augusti MDCCCLXXXXVIII aliisque deinceps praescripta fuissent, omnia, nonnullis opportune mutatis, revo-

Digitized by Google

caret, eaque sancte inviolateque, oneratâ ipsorum Antistitum conscientia, observari iuberet.

Primum igitur, quum eo ipso Decreto cautum fuerit, ut Ordinarii singuli indicem conficerent atque exhiberent omnium suae dioecesis ecclesiarum, quas certum esset privilegio linguae glagoliticae in praesens uti; quumque ei praescriptioni satisfactum non sit, quippe talis index, licet studiose expetitus, desideratur tamen adhuc, eumdem Sacra haec Congregatio praecipit ut Ordinarii omnes intra mensem Iulium anni proximi Apostolicae Sedi exhibeant, his quidem legibus confectum:

Ut eae dumtaxat ecclesiae, tamquam hoc privilegio auctae, notentur, in quibus non coniecturâ aliqua sed certis monumentis ac testibus constiterit, linguam glagoliticam ab anno MDCCCLXVIII ad praesens tempus sine intermissione in sacris peragendis adhibitam esse:

Ut, eiusdem privilegii nomine, nullae istis adscribantur ecclesiae, ubi in solemnibus Missis latina lingua celebrandis Epistolam et Evangelium cantari glagolitice mos fuerit, eoque minus ubi ista sermone croatico vulgari canantur.

Praeterea, Sacra haec Congregatio, quae infra scripta sunt, approbante item Summo Pontifice, religiosissime observanda edicit:

I. Quandoquidem Apostolica Sedes de usu glagoliticae linguae liturgico opportunum factu censuit, certis terminare finibus quod olim indulserat, usus huiusmodi considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium *locale,* quibusdam adhaerens ecclesiis, minime vero ut *personale,* quod ad nonnullos Sacerdotes pertineat. Quamobrem Sacerdotes, qui

Digitized by Google

palaeoslavicae dictionis periti sint, eam adhibere non poterunt, Sacrum facientes in ecclesia, quae hoc privilegio careat.

II. Semel confecto et publicato ecclesiarum privilegiatarum indice, nulli prorsus licebit in aliis ecclesiis, quacumque causa aut praetextu, linguam palaeoslavicam in sacram liturgiam inducere. Si quis vero, saecularis aut regularis Sacerdos, secus fecerit, aut id attentaverit, ipso facto a celebratione Missae ceterorumque sacrorum suspensus maneat, donec ab Apostolica Sede veniam impetrabit.

III. In ecclesiis, quae privilegio fruuntur, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione, salvis tamen praescriptis ad § XI huius Decreti. Libri autem ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et approbati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus Sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in Ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius, fidelibus exclusive, permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum, exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et approbatum.

Digitized by Google

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii Sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare Clericos, qui latinis vel qui palaeoslavicis ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat Ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis Sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica: attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Sacerdos vero, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscriptus, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit, non solemnem tantummodo, sed privatim etiam Missam celebrare itemque Horas canere tenebitur latina lingua; relicta illi solum facultate Officium privatim persolvendi glagolitice.

IX. Licebit pariter Sacerdotibus, latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate. Sacerdotes vero, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem hoc idiomate ne privatum quidem Sacrum facere poterunt in ecclesiis, ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorumdem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit. In Missis autem parochialibus fas erit post

Digitized by Google

Evangelii recitationem illud perlegere vulgari idiomate, ad pastoralem fidelium instructionem.

XI. In ipsis paroeciis, ubi viget linguae palaeoslavicae privilegium, si quis fidelis ostenderit se cupere aut velle, ut Baptismus vel sacramenta cetera, Matrimonio non excepto, sibi suisve administrentur secundum Rituale Romanum latinum, et quidem publice, eâdemque lingua habeantur rituales preces in sepultura mortuorum, huic desiderio aut voluntati districte prohibentur Sacerdotes ullo pacto obsistere.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen Generalibus Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum, quibus populus indulget in propria ecclesia: ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam, in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, *ad usum tantummodo privatum Christifidelium,* ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die XVIII Decembris anno MDCCCCVI.

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praefectus.*

Diomedes Panici, Archiep. Laodicen. *Secretarius.*

Digitized by Google

APPENDIX

Digitized by Google

CONSTITVTIO

DE SEDE APOSTOLICA VACANTE
ET DE ROMANI PONTIFICIS ELECTIONE

—

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Vacante Sede Apostolica, illud gravissimum sanctissimumque est, summum dominici gregis pastorem et caput, ad catholicam Ecclesiam provide solerterque regendam, eligere, qui in beati Petri locum succedens, Christi Iesu in terris personam gerat. Quod cum intelligerent Romani Pontifices Decessores Nostri, eo quavis aetate vigilem curam sedulamque cogitationem contulerunt ut ille modus et ordo in eligendo adhiberetur, qui rei gravitati aptius congruentiusque responderet. Qua de causa plures ex re et tempore ab iis sapientissimae editae sunt leges ut negotium ipsum rite, legitime expediteque absolveretur: quas inter principem obtinent locum Constitutiones a Pio IV, Gregorio XV et Clemente XII opportune sancitae.

Verum, decursu aetatum, factum est ut hae de Romano eligendo Pontifice indictae ac promulgatae leges sensim multiplici varioque numero augerentur: nonnullae etiam tem-

Digitized by Google

porum rationibus hominumque moribus mutatis, obsoletae evaderent: ita ut haud exigui laboris esse videatur discernere quaenam in Summo Pastore eligendo servanda sint.

Nos igitur, hoc incommodum praevertere volentes, quae de Romano Pontifice eligendo a Decessoribus Nostris decreta sunt, omnia in unam Constitutionem digerere opportunum duximus, integris, quantum fieri potuit, servatis ipsis priorum Constitutionum praescriptis, quin etiam verbis (licet haud semper uniformi stilo respondentibus), quae veneranda vetustas sancivit, nonnullis tamen mutatis, prouti opportunius Nobis visum est.

Itaque, re diu ac mature perpensa, certa scientia et proprio motu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hanc Constitutionem, quae perpetuo in futurum vigeat, edere statuimus, qua Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, atque in Romano Pontifice eligendo unice utatur, eamque vim legis habere solam decernimus, abrogatis Constitutionibus ac Decretis omnibus et singulis a Romanis Pontificibus hac de re editis, etiam in Conciliis generalibus promulgatis et in corpore iuris conclusis: excepta tamen Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* », diei XX mensis Ianuarii labentis anni, de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in electione Summi Pontificis, et Constitutione « *Praedecessores Nostri* » cum Instructione (vulgo *Regolamento*) adiecta, a fel. rec. Leone XIII die XXIV mensis Maii MDCCCLXXXII data pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac Constitutione derogatum est, vigere integram volumus.

Digitized by Google

TITVLVS I.

DE SEDE APOSTOLICA VACANTE.

CAPVT I.

De potestate S. Collegii Cardinalium, Sede Apostolica vacante.

1. Sedis Apostolicae vacatione durante, S. Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam, neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi; sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur [1]. Itaque irritum et inane esse decernimus quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in hac Nostra Constitutione expresse permittatur) coetus ipse Cardinalium duxerit (eadem vacante Ecclesia) exercendum [2].

2. Item praecipimus, ne S. Cardinalium Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tem-

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », VII Idus Oct. 1562, § 6; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », IV Non. Oct. 1732, § 6.

[2] Clem. V in Conc. Viennensi, cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.

Digitized by Google

pore, perpetratorum, attentare videatur; immo volumus ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat [1].

3. Leges a Romanis Pontificibus latae, per coetum Cardinalium Romanae Ecclesiae, ipsa vacante, corrigi, vel immutari nullo modo possunt, nec quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem. Quod potissimum valet de Constitutionibus pontificiis, ad ordinandum negotium electionis Romani Pontificis latis [2].

4. Si quae tamen dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debeat, sive super quovis alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus ac decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferendi sententiam; quam in rem eidem S. Cardinalium Collegio plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat [3].

5. Pariter in casu urgentis negotii, quod, ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis, in aliud tempus

[1] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* », 24 Maii 1882.

[2] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » in pr. *de elect.* I, 3 in Clem.; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », xvii kal. Decembr. 1621, § 20.

[3] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

Digitized by Google

differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, de opportuno remedio disponere potest et debet [1].

Capvt II.

De Cardinalium Congregationibus.

6. Tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera *generalis,* sive totius Collegii, altera *particularis*, constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque Ordine cum Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in Ordine quolibet tertio die una cum eodem Camerario succedunt [2].

7. Volumus ut in dictis Congregationibus particularibus, quae sive ante, sive post coeptum Conclave haberi poterunt, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti atque indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, seu ad S. Collegium Cardinalium deferatur. Ac ulterius, quae in una Congregatione particulari decreta, resoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, sed id faciendi ius habeat ipsa tantum Congregatio generalis per pluralitatem suffragiorum [3].

[1] Greg. X in gener. conc. Lugdun. cap. 3 « *Ubi periculum* » § 1 *de elect.,* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 6.

[2] Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 7; Pii IV Const. « *In eligendis* », §§ 7 et 8.

[3] Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 7.

Digitized by Google

8. Suffragia in Cardinalium Congregationibus, cum de rebus gravioris momenti agatur, non ore, sed suffragiis secretis dentur.

9. Inter generales Congregationes singulari mentione dignae sunt quae ante ingressum in Conclave habentur, eaedemque Congregationes praeparatoriae appellari possunt.

10. Congregationes generales praeparatoriae quotidie omnino locum habere debent a die obitus Pontificis usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, idque eo consilio fiat ut liberum sit tum Cardinali Camerario sententiam S. Collegii exquirere atque cum ipso quae necessaria vel opportuna iudicaverit, communicare, tum singulis Cardinalibus sententiam suam circa occurrentia negotia aperire, in rebus dubiis explicationes sciscitari, et opportuna proponere.

11. In memoratis Congregationibus generalibus haec praecipue negotia expedienda sunt [1]:

a) In primis Congregationibus integre legendae erunt tum praesens haec, quum superius memoratae Constitutiones « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis, a Nobis edita, et Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* » cum adiecta Instructione: iisdemque perlectis, iusiurandum ab omnibus Cardinalibus praesentibus iuxta praescriptam formulam [[2]] praestandum. Quod iusiu-

[1] Clem. XII *Chirografo* « *Avendo Noi* » 24 Dec. 1732, n. 17.

[[2]] Formula iurisiurandi ab Emis ac Rmis S. R. E. Cardinalibus praestandi:

« *Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolabiliter et ad unguem omnes et*

Digitized by Google

randum pariter emittere tenentur omnes alii Cardinales, qui serius ad locum electionis pervenerint, sive nondum sive iam inceptis Comitiis.

b) Cardinales quam cito ea omnia decernere ac disponere debent, quae ad Conclave inchoandum urgentiora sunt.

singulos Nos esse observaturos contenta omnia in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi De Sede Apostolica vacante et de Romani Pontificis electione, *quae incipit* « Vacante Sede Apostolica », *data die vigesima quinta Decembris anno millesimo nongentesimo quarto; necnon in Constitutionibus* « Commissum Nobis » *de civili* Veto *seu* Exclusiva, *uti vocant, in electione Summi Pontificis, ab eodem Pio Decimo data die vigesima Ianuarii eiusdem anni millesimi nongentesimi quarti, ac Leonis XIII* « Praedecessoris Nostri » *cum adiecta Instructione, data die vigesima quarta Maii anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo. Item promittimus, vovemus, et iuramus, quod quilibet ex Nobis in Romanum Pontificem, Deo sic disponente, erit assumptus, iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare nunquam desistet, atque eamdem hanc promissionem et iusiurandum, post eius ad Summi Pontificatus fastigium assumptionem, rursus praestabit.*

« *Praecipue autem promittimus et iuramus, sub poenis in praedicta Pii Decimi Constitutione* « Vacante Sede Apostolica » *statutis, Nos accuratissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, neque secretum praefatum quoquomodo violaturos, sive ipso Conclavi durante, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut expressa dispensatio ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis praetextu, munus proponendi* Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, esse recepturos, ipsumve*

Digitized by Google

c) Constituendus est dies, hora ac modus, quo corpus defuncti Pontificis transferatur.

d) Item Cardinales omnia opportune paranda curabunt, ut diebus statutis Pontificiae exsequiae solvantur.

e) Deputentur duo viri ecclesiastici, qui orationes « *De Pontifice defuncto* » et « *De eligendo Pontifice* » recitare debeant.

f) Constituatur dies, quo, si ab ipsis petatur, tum Legatis civilium Regiminum tum Equitibus Ordinis Hierosolymitani S. Collegium conveniendi aditus detur. Praedicti autem Legati nonnisi simul congregati admittantur, neque singulis facultas in posterum concedatur S. Collegium adeundi.

g) Nominentur singulares duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissiones:* α) pro inquisitione da qualitatibus Conclavistarum eorumque approbatione [1], itemque pro eorum designatione, qui Conclavi inservire debeant; β) pro

hoc Veto, *qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere, auxilium vel favorem praestituros* ».

Hanc formulam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubeat a Praefecto Caeremoniarum elata voce legi. Deinde singuli Cardinales dicent:

« *Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo, ac iuro* ».

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

« *Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia* ».

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 17.

Digitized by Google

constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione [1].

h) Proponantur atque approbentur expensae Conclavis.

i) Epistolae Imperatorum, Regum aliorumque civitatum Moderatorum, item Nuntiorum relationes, omniaque alia, quae S. Collegii interesse possint, cum ipso communicentur.

k) Perlegantur, si quae sint, documenta a defuncto Pontifice Sacro Cardinalium Collegio relicta.

l) Frangantur Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae. Pro-Datarius autem vel Sub-datarius, et Secretarius Brevium vel eius Substitutus supplicationes gratiarum, quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas Sacro Collegio tradant.

m) Cellae Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur [2].

Capvt III.

De nonnullis peculiaribus officiis, Sede Apostolica vacante.

12. S. R. E. Camerarii et Poenitentiarii Maioris officia non cessant per obitum Pontificis [3].

13. Si autem contingat alterius vel etiam utriusque officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc Congregatio generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis

[1] Pii IV « *In eligendis* », § 15; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 10.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 13.

[3] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » § 1 *de elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 9; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 15.

Digitized by Google

officiis habeatur, ac vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius, qui Camerarii vel Poenitentiarii Maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis, exquirantur, denturque per schedulas secretas, a Magistris Caeremoniarum etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas, ac coram tribus Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus, praesentibus eisdem Caeremoniarum Magistris atque S. Collegii Secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem pars relative maior votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit, ac sic deputato facultates omnes, quas ipse Camerarius vel Poenitentiarius Maior exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus [1]. Quod si forsan vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior.

14. Cardinali *Camerario*, vacante Sede Apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii. Hinc Cardinalis Camerarius, statim ac a Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis Car-

[1] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » § 1 *de elect.* I, 3 in Clem.; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 15; Bened. XIV Const. « *In Apostolicae* », Idibus Apr. 1744, § 4.

Digitized by Google

dinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam hac de re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re Populum Romanum singulari Edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt [1].

15. Cardinalis autem Sacri Collegii *Decani* erit, vix dum ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto de Pontificis morte fuerit edoctus, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significare, eosque ad Palatium Apostolicum advocare [2].

16. *Poenitentiarius Maior* eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valeant, quae a fel. rec. Benedicto XIV constituta ac definita sunt [3].

17. *Vicecancellarii S. R. E., Prodatarii* [4], *Secretarii Brevium* officia per obitum R. Pontificis omnino exspirant.

18. Item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis *Secretarii Status,* eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus *S. Collegii Secretarius*. Quod si hoc officium vacare contingat, eiusdem S. Collegii erit, aliquem ad illud, quamdiu scilicet Sedes Apostolica vacaverit, per pluralitatem suffragiorum deputare.

[1] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 3-6.

[2] Cfr. « *Regolamento* », Leonis XIII, nn. 7-8.

[3] Const. « *Pastor bonus* », Idibus Apr. 1744, §§ 51-55.

[4] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 11.

Digitized by Google

19. E contra *Cardinalis in Urbe Vicarii* officium et iurisdictio non exspirant morte Romani Pontificis. Quod si ipsum Vicarium Urbis, Sede vacante, e vivis decedere contigerit, ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum, tunc exsistens Vicesgerens dicti Vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habebit facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet [1].

20. Item *Legatorum, Nuntiorum* ac *Delegatorum Apostolicorum* officium et potestas non cessant Sede vacante.

21. Probe autem scientes eo maxime tempore, cum de creando Pontifice agitur, divinam opem per assiduas preces, aliaque christianae pietatis et caritatis opera impensius expetendam, ac promereri satagendum esse; ideo sicuti magnopere commendamus, ita quoque retineri volumus laudabilem morem huc usque observatum, ut defuncti *Pontificis Eleemosynarius* id muneris exercere pergat cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligatur, utque eadem pecuniae vis in subventionem eorumdem pauperum et egenorum Sede vacante per ipsum Eleemosynarium dispensetur ac erogetur, quae vivente Pontifice distribui solet, ad quem effectum consueta mandata a tribus Cardinalibus eo tempore in Ordine Prioribus, seu deputatis expediantur [2].

[1] Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 17.

[2] Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 25.

Digitized by Google

Capvt IV.

De Sacris Romanis Congregationibus earumque facultatibus Sede Apostolica vacante.

22. Circa facultates Sacrarum Romanarum Congregationum, Sede vacante, hae, quae sequuntur, normae ab omnibus servandae sunt, non obstantibus privilegiis quibusvis.

23. Sacrae Congregationes, eadem Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SSm̃o,* vel *ex audientia SSm̃i*, vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum,* quae a Romano Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

24. Facultates vero quae ipsis per Litteras apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Congregationum propriae censentur, eae morte Romani Pontificis non exstinguuntur.

25. Volumus tamen ut his facultatibus ordinariis Sacrae Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, illud statuimus, ut, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino: sin autem nullam admittat moram, tunc S. Collegio concedimus ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere

Digitized by Google

possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae, iuxta datam sibi a Domino prudentiam, iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint [1].

Capvt V.

De exsequiis Romani Pontificis.

26. Romano Pontifice vita functo, Cardinales exsequias pro eius anima de more per novem continuos dies persolvent, nisi forte in illis novem diebus aliquod festum ex praecipuis et magnis incidat, propter cuius observantiam exsequiae intermittendae videantur; tunc enim in numero quidem novem dierum exsequiarum intermissarum dies computantur [2]. Tribus vero postremis diebus solemniori ritu exsequias celebrabunt; et ultima earumdem exsequiarum die a viro ecclesiastico ad hoc deputato habebitur oratio « *de Pontifice defuncto* ».

TITVLVS II.

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS.

Capvt I.

De electoribus Romani Pontificis.

27. Ius eligendi Romanum Pontificem ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet, excluso prorsus atque remoto

[1] Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 18.

[2] Cfr. Caeremoniale Greg. XV « *Decet Romanum* », IV Idus Mart. 1621.

Digitized by Google

quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et ordinis interventu [1].

28. Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum Concilium in quibuslibet statu et terminis exsistat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob quamlibet causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit [2].

29. Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti

[1] Pii IX Const. « *In hac sublimi* », x kal. Septembr. 1871 et « *Consulturi* », 10 Oct. 1877; Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

[2] Pii IX Const. « *Cum Romanis Pontificibus* » pridie Nonas Dec. 1869.

Digitized by Google

praetextu vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi ullo modo potest; quas quidem censuras et excommunicationes ad affectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus [1].

30. Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur [2].

31. Cardinales canonice depositi, vel qui dignitati cardinalitiae, consentiente Romano Pontifice, renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Immo, Sede vacante, nec potest S. Collegium restituere et habilitare Cardinales per Papam privatos seu depositos, ne quidem ad vocem [3].

32. Statuimus etiam et declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit,

[1] Clem. V cap. 2 « *Ne Romani* » § 4 *de elect.* I, 3 in Clem.; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 29; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* » § 22.

[2] Pii V decretum die 26 Ianuarii 1571; Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

[3] Bonif. VIII cap. un. *de schismatic.* V, 3 in Sext.; Pii IX Litt. « *Quamquam* », 29 Sept. 1867.

Digitized by Google

is nullatenus ad eligendum admitti debeat [1], nisi certo et indubitato privilegio Pontificio munitus sit [2].

33. Item statuimus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, praesentes Cardinales cxpectare debeant absentes per decem tantummodo dies, quibus exsequiae defuncti Pontificis celebrantur; quibus elapsis, statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur [3].

34. Si tamen Cardinales absentes supervenerint, re integra, id est antequam eidem Ecclesiae sit de Pastore provisum, in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur [4].

35. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, postquam per Cardinalem Decanum, vel ipso impedito, per alium Cardinalem, de vacatione Sedis Apostolicae certiores facti, atque ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant [5].

36. Si quis vero forte Conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmitatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium approbata, exiverit;

[1] Pii IV Const. *In eligendis* », § 25; Sixt, V Const. « *Postquam verus* » III Non. Decembr. 1586, § 6.

[2] Cfr. Caeremoniale Greg. XV, § *Porro.*

[3] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* » §§ 2, 3, 5.

[4] Greg. X cap. 3 *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.

[5] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

Digitized by Google

tunc, ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e Conclavi exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad Conclave, post sanitatem sibi redditam, seu ante, redire voluerit, rursus admittatur [1].

37. Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat [2].

Capvt II.

De Conclavistis ac de aliis in Conclavi partem habentibus.

38. Quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clérico et uno laico, contentus sit; infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte S. Collegii, vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest [3].

39. Conclavistae Praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, aut eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae. Et de qualitatibus Conclavi-

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 4.

[2] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 17.

[3] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 16.

Digitized by Google

starum, Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter inquirere debent [1].

40. Conclavistae iusiurandum, quod ab ipsis iuxta statutam formam [[2]] edi debet, serio ac religiose, pro rei gra-

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 17.

[[2]] Formula iurisiurandi a Magistris Caeremoniarum atque ab omnibus aliis Conclavistis ecclesiasticis praestandi, una vel altera die ante ingressum in Conclave, coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario ad rem deputatis:

« *Ego*..

constitutus coram te..

tactis per me SS. Dei Evangeliis coram me positis, iuro et promitto me inviolabile servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione deque iis, quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet, ipsum mihi violare liceat, et hoc nedum sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, privative etiam quoad S. Poenitentiariam, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendae in casu transgressionis. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem, nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut expressa dispensatio mihi concessa fuerit.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus tango ».

Formola del giuramento per i Conclavisti ed altri inservienti laici:

« *Io*..

stando dinnanzi a..

toccando colle mie proprie mani i Santi Evangeli, giuro e prometto

Digitized by Google

vitate, praestent. Quam ob rem S. R. E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis praedictum iusiurandum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave emittatur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

41. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes, e Conclavi, ex causa infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possunt; sed eorum loco, alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur [1].

42. Item si aliquem Cardinalem in Conclavi vita fungi accidat, ipsius Conclavistae statim e Conclavi exire debent,

che osserverò un inviolabile e rigoroso segreto su tutte e singole quelle cose, le quali in qualunque modo venissi a conoscere, riguardanti la elezione del nuovo Pontefice e ciò che avverrà nel Conclave o nel luogo della elezione, e che non violerò in alcun modo questo segreto, nè direttamente, nè indirettamente, nè con parole, nè con scritti, nè con segni, o in altra qualsiasi guisa; e ciò non solo sotto pena di scomunica, riservata in modo speciale al futuro Pontefice, ad esclusione anche della Sacra Penitenzieria, e da incorrersi senz'altra dichiarazione col solo fatto della violazione del giurato segreto, ma anche sotto altre pene anche gravissime da infliggermisi dalla stessa Santità Sua in caso di trasgressione. Il segreto io giuro e prometto che manterrò coscienziosamente anche dopo avvenuta l'elezione del nuovo Pontefice, a meno che non mi venga su ciò concessa dal medesimo Pontefice una espressa e speciale facoltà.

Così Dio mi aiuti e questi Santi Evangeli, che tocco colle mie mani ».

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 24.

Digitized by Google

neque ad alterius Cardinalis famulatum in eodem Conclavi assumi poterunt [1].

43. Sacri Palatii Apostolici Sacrista quoque cum uno vel pluribus (ad S. Collegii arbitrium) Clericis coadiutoribus in officio Sacristiae, itemque Magistri Caeremoniarum non plures quam sex Conclave ingrediantur, muneribus quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus S. Collegii Secretarius tantum, unus Religiosus pro confessionibus excipiendis, duo Medici, unus Chirurgus, unus Aromatarius cum uno aut duobus servientibus, qui omnes a maiori parte Cardinalium vel a Cardinali Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis Cardinalium, erunt eligendi; aliique Conclavis utilitati atque commoditati servientes, qui tamen plures esse non debent quam quod necessitas postulaverit [2].

Capvt III.

De ingressu in Conclave [3].

44. Exsequiis defuncti Pontificis (ut supra) persolutis, et interim Conclavi opportune praeparato, Cardinales in Basilicam Sancti Petri, vel alio pro temporis et loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebratur, et in fine per aliquem Praelatum

[1] Clem. XII Chirogr. « *Avendo noi* », n. 16.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 18; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 13.

[3] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

Digitized by Google

aut alium virum ecclesiasticum doctum habeatur oratio, qua moneantur, ut, sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum prae oculis habentes, Sanctae Romanae et universali Ecclesiae de Pastore sufficienti et idoneo providere, omni qua possunt brevitate et diligentia curent.

45. Re divina peracta, statim, vel, si Patribus potius libuerit, vespere, fit ingressus in Conclave. Clericus Caeremoniarum capit Crucem Papalem, et procedit: quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis cappis violaceis: Crucem praecedunt Familiares Cardinalium, et immediate Cantores Hymnum *Veni creator Spiritus* cantantes: post Cardinales sequuntur Praelati, atque ita ordine procedentes, Conclave ingrediuntur, et cum ad Cappellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem *Deus qui corda fidelium;* qua finita, tum praesens quum etiam memoratae Constitutiones « *Commissum Nobis* » de civili *Veto*, et Leonis XIII « *Praedecessores Nostri* » (praetermissis iis, quae nonnisi res iam peractas respiciunt) iterum leguntur; ac iusiurandum, iuxta superius praescriptam formam, ab omnibus Cardinalibus rursus emittitur. Deinde Cardinales post brevem sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite et recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos distributas divertunt.

Interim Officiales Conclavis et alii in Conclavi servientes iuramenta iuxta praescriptas formulas praestant coram Caeremoniarum Praefecto vel S. Collegii Secretario, ad rem deputatis a Cardinali Camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum emittendum est. Pariter hac eadem die, qua

Digitized by Google

fit ingressus in Conclave, Praelatus Pontificiae Domui praepositus et Marescallus Conclavis iusiurandum emittere debent iuxta statutas formulas coram Cardinali Decano, praesentibus omnibus Cardinalibus, idemque praestant Praelati, quibus Conclavis custodia concreditur.

46. Tandem, postquam ter, iussu Cardinalis Decani, campanula personata fuerit, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, ipsum Conclave intus et extra claudatur, et claves S. R. E. Camerario ac Magistro Caeremoniarum et Praelatis custodibus Conclavis iuxta solitum assignentur.

Deinde accensis fanalibus, tres Cardinales Capita Ordinum et Camerarius, una cum Magistro Caeremoniarum latebras et angulos omnes Conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium et alii Officiales et Ministri Conclavis, quos superius recensuimus; omnium autem istorum Conclavistarum recognitio fieri debet, ne quis inter illos forte sit ex iis, qui in Conclavi esse non possunt: quae recognitio, ut certius fiat, iubentur Conclavistae omnes intrare Cappellam, et postea singillatim recensentur.

Digitized by Google

Capvt IV.

De clausura Conclavis, ac de secreto servando in iis omnibus, quae in conclavi aguntur.

47. Electio Summi Pontificis fieri debet in Conclavi, et eo clauso [1], sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta.

48. Tenentur quoque Cardinales pro tempore deputati, per se vel per alios, cellas Cardinalium et alia Conclavis loca saepius visitare et diligenter perquirere, ne Conclavis clausura ullo modo violetur. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores e Conclavi expellantur et gravibus poenis futuri Pontificis arbitrio plectantur [3].

49. Clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus vel aliis in Conclavi partem habentibus admittantur, nisi praesentibus Praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus existat [3].

50. Volumus item ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6, in Sext.; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 1.

[2] Pii IV Const. « *In eligendis* », § 15.

[3] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 19.

Digitized by Google

Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant [1].

51. Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. Cardinalibus quam pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur [2]; ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant, a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possint [3].

52. Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis Familiaribus seu Con-

[1] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* », § 1 *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 20; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 11.

[2] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 20.

[3] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 19.

Digitized by Google

clavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint.

53. Insuper praecipimus, graviter onerata ipsorum conscientia, S. R. E. Cardinalibus ut secretum huiusmodi servetur etiam post peractam novi Pontificis electionem, neque ullo modo ipsum violari liceat, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum extendi volumus ad alios omnes, qui in Conclavi partem habuerunt, si quid forte, bona vel mala fide, de iis, quae in Conclavi gesta sint, cognoverint.

Caput V.

De forma electionis [1].

54. Mane sequenti, post clausum praecedenti nocte Conclave, ac post solitum campanulae sonum, conveniunt Cardinales in eo praesentes, qui infirmitate non sunt impediti, induti super vestem crocea aut *mozzeta* violacea (quibus vestibus uti debent quandocumque aliquid collegialiter agendum est), ad designatum Sacellum, et ibi celebrata consueta Missa, et facta Cardinalium Communione, ac postea recitato Hymno *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, statim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem uno tantum ex tribus, qui infra exponuntur, modis sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.

[1] Cfr. Caeremoniale Greg. XV.

Digitized by Google

55. Primus modus est, qui quasi *per inspirationem* vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum infrascripta notanda sunt.

Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in Conclavi, et eo clauso. Secundo, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus, etiam iis, qui ob infirmitatem in cellis detinentur. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum « *eligo* » intelligibile voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem huius, potest esse huiusmodi. Si quis e Patribus clauso Conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate Reverendissimi D. N. iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam. Deinde hoc audito, si ceteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam eodem verbo « *eligo* » intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eumdem N., de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa secundum hanc electionis formam, quae dicitur *per inspirationem.*

56. Secundus modus est *per compromissum,* quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae pro-

Digitized by Google

videant de Pastore, cuius formae praxis debat esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi clauso praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus (i. e. in tres vel quinque vel septem, non in minorem vel maiorem numerum) compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam: « In nomine Domini Amen. Anno etc. mense etc. die etc. Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (et singillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios N. N. et N. Cardinales etc., quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet ». (Hic necesse erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam Compromissarii debent eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta si electi sint tres Compromissarii, declarandum est an ad hoc ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam ab ipsis nominandam ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam; an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, et alia his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromisso debet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem Compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: « Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. Compromissarii secundum

Digitized by Google

formam praedictam duxerint eligendum », vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accommodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, Compromissarii ad partem in aliquo loco separato et clauso se conferunt, et de electione facienda tractant, et debet inter eos praemitti protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio necessaria est inter Compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se, sine praeiudicio, uti possint.

Tertio, facta per Compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et in Conclavi promulgata, electus per huiusmodi viam compromissi, est canonicus et verus Papa.

57. Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium*. Qua in re plenissime confirmamus et renovamus legem iam a Praedecessoribus Nostris sapienter inductam ac per plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statutum est ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint [1].

Numerus autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii valida sit, ita est censendus ut in duabus tertiis

[1] Alex. III in Concil. Later. cap. 6 « *Licet de vitanda* » *de elect.* I, 6; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 1.

Digitized by Google

partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari [1].

58. Scrutinii autem ritus continet tres actiones: alteram, quae *antescrutinium*, alteram, quae *scrutinium*, et tertiam, quae *postscrutinium* appellari potest.

59. *Antescrutinii* actus sunt quinque, videlicet: praeparatio schedularum; extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum per sortem; scriptio schedularum; earum complicatio; obsignatio earumdem.

60. Schedularum praeparatio et distributio ad Magistros Caeremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundum formam inferius describendam accipient, et singulis Cardinalibus saltem duas vel tres distribuent.

61. Forma autem schedulae, quoad eius figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quam lata. Circa ea vero, quae in eisdem schedulis contenta sunt, in anteriori eius parte, quae brevitatis gratia facies nominari potest, tria comprehendi debent. Primo in superiori parte secundum eius latitudinem, duo haec verba **Ego Card.** cum tanta ad invicem distantia ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, et paulo inferius bina signa, parvorum hemiciclorum instar confecta, ad loca sigillorum indicanda.

[1] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 2.

Digitized by Google

Secundo, in medio continere debet haec verba:

Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum D. Cardinalem . . . . . .

Tertio, in parte inferiori, alia bina signa, uti supra hemiciclorum instar confecta, ad loca sigillorum similiter demonstranda.

In exteriori autem parte schedularum, quae tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, et vulgari vocabulo *fregi* nuncupant, quorum primum circa sui medium continet hoc verbum, **Nomen**, impressum secundum longitudinem ipsius limbi; alterum vero continet hoc verbum, **Signa**, similiter impressum, ut praecedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen, nomina et signa eligentium conspici possint; ubi vero impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed haec fient clariora per infra positas figuras schedularum.

Digitized by Google

EXEMPLUM FACIEI

Schedulae scrutinii.

Ego .... Card. ....

. . . . *(locus primae plicaturae)*

. . . . *(locus secundae plicaturae)*

Eligo in Summum Pontificem R. D.

meum D. Card. ....

. . . . *(locus secundae plicaturae)*

. . . . *(locus primae plicaturae)*

Digitized by Google

EXEMPLUM TERGI

Schedulae scrutinii.

Nomen.

Signa.

Digitized by Google

62. Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum, et Recognitorum: quae extractio, antequam ad scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno sacculo, aut vase, publice ponantur tot schedulae, vel si magis placet, spherulae ligneae palam numeratae, quot sunt Cardinales praesentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primo Scrutatores tres, postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, ac tandem Recognitores, de quorum omnium officio inferius suo loco scribetur. Quod si in extractione Scrutatorum, Infirmariorum et Recognitorum, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus praedictis satisfacere non possint, alii non impediti, loco illorum, extrahantur. Peracta vero extractione, schedulae, seu spherulae eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum, seu in vas iterum coniiciantur.

63. Tertius actus antescrutinii est schedularum scriptio, quae ab unoquoque Cardinali fiet hoc modo. Primo in superiori parte, in spatio inter verba **Ego Card.** scribet proprium nomen; deinde in secunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis cognosci possit; et caveat ne plura nomina in schedula scribat; quia suffragium esset nullum. In tertia vero parte signa, videlicet numerum aliquem, et dictum aliquod Scripturae, seu verbum, aut aliquid huiusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis subiecto, videre est.

Digitized by Google

EXEMPLUM

Schedulae scrutinii scriptae.

Ego Bonifacius Card. Caietanus.

. . . . *(locus primae plicaturae)*

. . . . *(locus secundae plicaturae)*

Eligo in Summum Pontificem R. D.

meum D. Card. Baronium.

. . . . *(locus secundae plicaturae)*

. . . . *(locus primae plicaturae)*

18 Gloria in excelsis Deo.

Digitized by Google

64. Quartus actus antescrutinii est schedularum complicatio, quae ut expeditius peragi a Cardinalibus valeat, poterit a Caeremoniarum Magistris, cum eas praeparant, fieri in hunc, qui sequitur modum. Binae fient plicaturae ex utraque parte cuiusque schedulae, ita ut nomen eligentis et signa cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum est ita complicetur ut schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata schedula, quae hic exempli gratia ponitur, conspici potest.

EXEMPLUM

Schedulae plicatae.

Nomen.

S S

Eligo in Summum Pontificem R. D.

. . . . *(locus ultimae plicaturae)* . . .

meum D. Card. Baronium.

S S

Signa.

Ceterum Magistri Caeremoniarum schedulas, non complicatas ut supra, sed explicatas, Cardinalibus distribuent, et Car-

Digitized by Google

dinales easdem, postquam ut supra scripserint, complicabunt iuxta plicaturas a Magistris Caeremoniarum paratas.

Secretarius autem S. Collegii et Magistri Caeremoniarum debent ab aula discedere, antequam Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut tempore scrutinii Cardinales soli in Cappella remaneant.

Porro, post eorum egressum ex aula, ultimi Cardinalis ordinis Diaconorum erit ostium Cappellae claudere: ac generatim ipsum, quotiescumque opus fuerit, aperire et claudere, exempli gratia, quum Cardinales Infirmarii ad vota infirmorum colligenda pergunt ac postea quum ad Cappellam redeunt, vel ob quamcumque aliam necessitatem.

65. Quintus et postremus actus antescrutinii est schedularum obsignatio, quae ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo schedularum cum cera rubra et sigillo ad hoc parato. Porro sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, et secrete habitum, et ita simplex ut facile notari possit, veluti si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres litterae et numeri, vel una tantum imago.

Haec de antescrutinio sufficiant; ceterum, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius suo loco dicetur.

66. Sequitur secunda actio, quae nomine *scrutinii* appellata fuit. Octo sunt huius actionis actus, videlicet: delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum numeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum depositio seorsum.

67. Delatio schedulae, et duo sequentes actus, qui melius simul describuntur ob eorum connexionem, hoc modo fient.

Digitized by Google

Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus; ibique genuflectens, aliquantulum orabit: deinde surgens, alta et intelligibili voce, iurabit in hanc formam, quae in tabella super Altari posita descripta habetur:

Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi debere.

Post haec schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem; quo facto inclinabit se ad Altare, et ad suum locum revertetur.

68. Haec servanda erunt, si Cardinalis ad Altare pergere possit: nam si ob infirmam valetudinem non possit, et praesens in Cappella sit, ultimus Scrutator ad eum accedet; et Cardinalis infirmus, postquam schedulam in loco suo secrete, ut supra dictum est, confecerit, praevio iuramento praedicto, ipsam obsignatam et complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, et sine oratione et iuramento in patenam ponet, et per eam in calicem mittet.

69. Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut supra extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cuius superiori parte sit rima, seu foramen, eius magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales possint eam

Digitized by Google

inanem et vacuam conspicere, deinde claudent, et clavem ponent super Altare; deinde Infirmarii cum capsula clausa, et cum parvo disco sufficientes schedulas continentes, ad unumquemque eorum accedent; et infirmi acceptas ex disco schedulas secrete scribent, obsignabunt et complicabunt, et praevio iam dicto iuramento in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, sive aliquis ex tribus Cardinalibus Infirmariis, sive alius ex ordine tamen clericali, eorum arbitrio deligendus, praestito de secreto servando in manibus Infirmariorum iuramento, praedicta faciet: atque hi advertere debent quod non solum iuramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latae sententiae, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Cappellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, et schedulas in ea contentas palam numerabunt: et tot repertas, quot sunt infirmi, ponent singillatim in patenam, et per patenam simul omnes in calicem.

Ne autem nimis in longum protrahatur scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere et in calicem ponere, deinde dum ceteri Cardinales scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proxime ante dictum est.

70. Quartus actus scrutinii est schedularum permixtio, quae fiet per primum Scrutatorem, calice in quo ipsae schedulae positae fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

71. Quintus actus est numeratio schedularum, quae palam fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, calicem vacuum. Quod si numerus

Digitized by Google

schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendae sunt, et iterum, idest secunda vice, ad suffragia statim est deveniendum. Si vero numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutinii.

72. Sextus actus est publicatio scrutinii, quae per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam, fiet hoc modo. Primus Scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, et viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perspecto, eamdem tradet tertio, qui illam alta et intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium: notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam. Quod si in scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus et idem in utraque electus fuerit, schedulae praedictae habebuntur et notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit; scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia praedicta, finita scrutinii publicatione, a Scrutatoribus iuxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigentur, vel in separato folio notabuntur, hoc modo: *Reverendissimus D. Cardinalis A habet suffragia 20, et Reverendissimus D. Cardinalis B habet suffragia 15*, et sic de aliis; quod fit ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quae iuxta nomina Cardinalium notarunt.

Digitized by Google

73. Septimus actus scrutinii est schedularum in filum insertio, quae ut schedulae ipsae cautius conservari possint excogitata fuit. Haec autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum **Eligo.**

74. Octavus et postremus scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quae similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui, finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo iunget, et schedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.

75. Sequitur tertia et postrema actio, quae *postscrutinium* appellata fuit, cuius actus tres sunt, videlicet: numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio.

Primus itaque actus est numeratio suffragiorum, quae fiet per Scrutatores semper, sive secuta sit electio, sive non: et si quidem secuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo scrutinio non habetur Papa; si vero secuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem haec numeratio suffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quae quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, et si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio; si vero invenerint aliquem ex nominatis duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam (quam ex sigillis et signis ab ipso electo hoc in casu manifestandis cognoscent), etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi

Digitized by Google

suffragium dedisse, eius electio nulla erit ob defectum unius suffragii.

Secundus actus postscrutinii est recognitio, quae per Recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet inspiciendo tam schedulas scrutinii, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per huiusmodi recognitionem constare possit an Scrutatores sincere et fideliter muneri suo satisfecerint.

Tertius, et postremus actus postscrutinii est combustio omnium schedularum, quae semper et palam per Scrutatores, adiuvantibus Magistris Caeremoniarum, fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit secuta, sive non. Si tamen secundum scrutinium, iuxta ea quae inferius praescribentur, peragendum sit, tunc combustio schedularum primi scrutinii nonnisi in fine una cum schedulis secundi scrutinii facienda erit.

76. In Praedecessorum Nostrorum, ac praecipue Gregorii XV, Constitutionibus ad expeditiorem electionem habendam statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo facta non fuerit, statim antequam ad alios actus deveniretur, Cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, accedere alicui ex illis, qui in eodem scrutinio saltem unum suffragium validum obtinuissent, dummodo is non esset, qui ab ipsomet Cardinali fuerat in scrutinio nominatus. Cum tamen huiusmodi forma *accessus* non parum esset ad exequendum difficilis, praesertim quoad ea, quae schedularum inspectionem, aperitionem et collationem spectabant, Nos et huic incommodo occurrere et nihilominus optatae electionis accelerationi nullimode offi-

Digitized by Google

cere cupientes, statuimus ac praescribimus ut loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum iuxta huc usque exposita scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debeant, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis. Volumus autem ut in hoc secundo scrutinio iidem ac in primo ritus serventur, ita tamen ut Cardinales non teneantur novum emittere iusiurandum, neque novos eligere Scrutatores, Infirmarios et Recognitores, sed quae in primo scrutinio quoad haec praestita sunt, sine renovatione valeant etiam pro secundo.

77. Et haec omnia, quae de scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus scrutiniis, quae singulis diebus peragi debent mane post solitam Missam, et Hymnum *Veni Creator Spiritus* cum oratione de Spiritu Sancto, et prima quidem tantum die post Cardinalium sacram peractam Communionem; et post meridiem hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto [1].

78. Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam in *scrutinio* per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, electi suffragio non computato; vel per viam *compromissi* ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per *inspirationem*, nullo praecedente de persona speciali tractatu,

[1] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 17.

Digitized by Google

omnium pariter Cardinalium praesentium in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit, expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat [1].

Capvt VI.

De iis, quae servanda vel vitanda sunt in electione Romani Pontificis.

79. Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus [2], huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus; sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis.

80. Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat [3].

81. Quae autem in memorata Nostra Constitutione « *Commissum Nobis* » de civili *Veto* seu *Exclusiva,* uti vocant, in

[1] Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 19.

[2] Iulii II Const. « *Cum tam divino* », xix kal. Febr. 1505.

[3] Symmachus Papa in Synod. Rom. c. 2 D. 79; Pauli IV Const. « *Cum secundum Apostolum* », xvii kal. Ianuar. 1558.

Digitized by Google

electione Summi Pontificis ediximus et sanximus, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

82. Cardinales praeterea abstineat ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus, et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus. Tractatus tamen pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus [1].

[1] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4, *de elect.* I, 6, in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* », § 26; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 18.

Digitized by Google

83. Pariter interdicimus ne Cardinales, antequam ad electionem deveniant, capitula conficiant, seu quaedam communi consensu statuant, ad quorum observantiam sese adstringant, si ad Pontificatum assumantur; quae item, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita declaramus [1].

84. Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur ut in eligendo Pontifice, nulla propensione animi vel aversione ducti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium, non vi vel metu vel aura populari moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint [2].

85. Cum vero fideles non tam humanae industriae subsidiis, etsi sollicitae, inniti debeant, quam in humilis devotaeque orationis instantia sperare, huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceterisque locis saltem insigniorìbus, ubi primum de Pontificis obitu nuncium pervenerit, a Clero et populo, solemnibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus (donec Romanae Ecclesiae de suo Pastore

[1] Pii IV Const. « *In eligendis* » § 3; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* » § 18.

[2] Greg. X cap. 3 « *Ubi periculum* » § 4, *de elect.* I, 6 in Sext.; Pii IV Const. « *In eligendis* » § 26; Greg. XV Const. « *Aeterni Patris* », § 23; Clem. XII Const. « *Apostolatus officium* », § 5; Pii IX Const. « *Licet per Apostolicas* », VI Idus Septembr. 1874; Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* »; Pii X Const. « *Commissum Nobis* ».

Digitized by Google

fuerit provisum) humiles assiduaeque preces fundantur ad Dominum, ut Ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, ut provisio celeris, unanimis et utilis (prout animarum salus exigit, et totius orbis requirit utilitas) ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum, ignorantiae negligi praetextu contingat, praecipimus ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum Praelati, ceterique, quibus officium est enuntiare verbum Dei, Clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter excitent, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam (prout circumstantiae pensandae suaserint) ieiuniorum hortentur [1].

86. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum rogamus, ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat: nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem [2].

[1] Greg. X, cap. 3 « *Ubi periculum* » § 5, *de elect.,* I, 6. in Sext.

[2] Leonis XIII Const. « *Praedecessores Nostri* ».

Digitized by Google

Capvt VII.

De acceptatione et proclamatione electionis, nec non de consecratione et coronatione novi Pontificis.

87. Post electionem canonice factam consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii requiratur [1].

88. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. Hinc, si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus [2].

89. Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Diaconorum publicatur [3].

90. Quod si electus nondum sit Presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur [4].

[1] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae,* § 34.

[2] Clem. V, cap. 4, *de sent. excomm.*, V, 10 in Extravag. comm.

[3] Caeremoniale Rom., lib. I, tit. I, *De Conclavi et Electione Papae,* § 35.

[4] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis,* § 13.

Digitized by Google

91. Tandem per Decanum Cardinalem Diaconum coronatur [1].

Haec igitur, tota rei causa graviter considerata, atque etiam Decessorum Nostrorum exemplis permoti, statuimus et praescribimus, decernentes praesentes has Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Volumus etiam Nostras has Litteras legi coram omnibus in primis Congregationibus post obitum Pontificis haberi solitis, ut supra (n. 11, *a*); rursus post ingressum in Conclave, ut supra (n. 45); item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Non obstantibus, quatenus opus sit, per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quas omnes et singulas abrogatas, ut supra, declaramus, ceterisque etiam individua

[1] Caerem. Rom., lib. I, tit. II, *De ordin. et consecrat. novi Pontificis,* § 18.

Digitized by Google

ac specialissima, mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, abrogationis, mandati, innodationis, admonitionis, inhibitionis, praecepti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die vigesima quinta Decembris, Christo Iesu in terris nascenti sacra, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X

Digitized by Google

II.

CONSTITVTIO

DE CIVILI *VETO* SEV *EXCLVSIVA* VTI VOCANT
IN ELECTIONE SVMMI PONTIFICIS

—

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Commissum Nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit, quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri Cathedram, licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutor voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.

Digitized by Google

Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis electione versatur; siquidem *salus, non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur* [1].

Huic plenae libertati in Summo Pastore eligendo opponitur in primis civile illud *Veto*, a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praecludere. Id si aliquoties accidit, Apostolicae tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quae de habendo Conclavi constituerunt, nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant Constitutiones « *In eligendis* » Pii IV; — « *Aeterni Patris* » Gregorii XV; — « *Apostolatus officium* » Clementis XII; in primisque Pii IX, « *In hac sublimi* » — « *Licet per Apostolicas* » et « *Consulturi* ».

Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusivam* non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta, idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *Veto*, sive *Exclu-*

[1] Greg. XV Constit. « *Aeterni Patris* » in proöem.

Digitized by Google

sivam, quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis praetextu se interponere aut ingerere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur, ut in eligendo Pontifice, *Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis* [1], sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota

[1] Pii IV Constit. « *In eligendis* », § 26; Clem. XII Constit. « *Apostolatus officium* », § 5.

Digitized by Google

conferant quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionibus legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecepti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quarto, die xx Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X

Digitized by Google

III.

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Praedecessores Nostri pro supremi Apostolatus officio sollicita cura et singulari studio continenter prospexerunt, ut Romanorum Pontificum electiones, a quibus pax, unitas et status Ecclesiae tantopere pendet, ordinatim et regulariter fierent; et plura pro temporum adiunctis, ut eae celeriter, libere et expedite ad exitum deducerentur, sapienter invenerunt et decreverunt. Haec autem sollicitudo et vigilans eorum cura praecipue enituit cum bellorum motus, aut perturbati rerum publicarum ordines suspicionem iniicerent, ne quae pro Romano Pontifice eligendo sacra comitia haberi deberent, vel per apertam vim libertate destituerentur, vel alia quavis ratione electio deturbaretur, aut distineretur, aut alia eidem expediendae impedimenta obiicerentur. Siquidem tunc consentaneum visum diiudicatumque est impendenti malo extraordinariis occurrere remediis, quae adiunctorum gravitas e re magis esse suaderet, ut pericula propulsarentur, quibus pax et unitas ipsa Ecclesiae in discrimen adducebatur. Huius vero peculiaris sollicitudinis monumenta praecipue suppetunt Romani Pontifices, qui inde a superiore saeculo Ecclesiae clavum tenuere in tam misera rerum conversione ac perturbatione, qua haec praesertim

Digitized by Google

Apostolica Sedes oppugnata est, tum hostilium copiarum irruptione, tum internarum seditionum motibus, tum etiam usurpatione civilis principatus, qui ad liberum et independens spirituale Ecclesiae regimen, Deo sic providente, constitutus fuit; quo tempore Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales aut Urbe expulsi, aut in diversa loca deportati sunt; ipsi autem Romani Pontifices impio ausu a propria sede abrepti, in exilium acti, aut etiam in carcerem detrusi ac detenti sunt. Ipsi enim quamvis tot tantisque iactarentur tempestatum fluctibus, nihil tamen antiquius habuere, quam, ut futuri Pontificis electionem in tuto ponerent, tum iis quae in eam rem Romanorum Pontificum Constitutionibus sancita aut consuetudinibus invecta fuerant opportune derogando, cum alia pro rerum adiunctis sapienter constituendo quibus electio celerius et facilius expediri absolvique posset.

At vero ut pro sua aetate Praedecessores Nostri, ita Nos immo vero eo magis devinctos et obstrictos ipsi sentimus debito consulendi certae et expeditae Successoris Nostri electioni, quo saeviores perspicimus ingruere adversus Christi Ecclesiam tempestatum aestus et acriores hostium in dies experimur conatus et impetus adversus hanc Sanctam Sedem; quo magis sus deque omnia versa et perturbatos videmus publicos rerum ordines, ita ut anxius haereat animus et pavida mens incerta maneat quid demum futura tempora portendant. Quamvis itaque Dei promissionibus confisi, cuius in humilitate cordis Nostri nunquam desistimus implorare opem, certa fulciamur spe fore ut etiam in praesenti discrimine suo omnipotenti praesidio Ecclesiae Sponsae suae Ipse adsit; nihilominus perpendentes hinc caducum et labilem

Digitized by Google

humanae vitae fluxum, inde autem multiplices obices qui aut electioni Nostri Successoris intercedere, aut eidem moram afferre queant, sive Nos supremum diem hic Romae claudere contingat in eadem in qua nunc versamur conditione, sub hostili dominatione constitutos et undique innumeris impeditos insidiis; sive tum Nobis, tum Sacro Cardinalium Collegio graviora adhuc experiri ac perpeti accidat: sive demum exilii iter arripere cogamur, ibique ex mortalis huius vitae aerumnis ad aeternam pacem Nos vocare Deo libuerit; conveniens et necessariam iudicavimus ea constituere quae pro casuum varietate, quibus praevertere humano consilio licuit, in electione Nostri Successoris servari deberent. Inhaerentes itaque Praedecessorum Nostrorum vestigiis, implorato prius coelesti lumine et exquisito consilio peculiaris Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, certa scientia et proprio motu de plenitudine Apostolicae potestatis haec quae sequuntur decernimus.

Ius iamdiu firmatum et praescriptum eligendi Romanum Pontificem Successorem Nostrum ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales unice et privative pertinere declaramus et edicimus et, quatenus opus sit, hac Nostra Constitutione approbamus et confirmamus, excluso prorsus atque remoto quolibet cuiuspiam alterius Ecclesiasticae dignitatis, aut laicae potestatis cuiuslibet gradus et Ordinis interventu, quovis quaesito colore aut praetextu etiam supplendi munus et vices Cardinalium, casu quo iidem per orbem dispersi aut deportati aut alio quolibet obstaculo praepediantur comitia habere pro canonica Successoris Nostri electione. Quam in rem Constitutionem f. r. Pii IX Decessoris Nostri quae incipit

Digitized by Google

« *Cum Romanis Pontificibus* » die IV Decembris MDCCCLXIX datam confirmamus et renovamus. Ut autem magis adhuc cautum sit, ne alienus quis electioni quamvis extrinsece tantum sese interponat et immisceat, nominatim derogamus Constitutionibus Gregorii X in Concilio Lugdunensi « *Ubi periculum* » Clementis V in Concilio Viennensi « *Ne Romani* » et Pii IV « *In eligendis* » pro ea parte qua civilibus aut politicis magistratibus civitatis, in qua Romani Pontificis electio sit celebranda, vel etiam Praelatis, Rectoribus, Officialibus Urbis, Principum Oratoribus, aliis quibusvis potestatem tribuunt, ut praescriptiones pro electione praefata faciant observari.

Derogamus etiam iis regulis et praescriptionibus quae per Apostolicas Romanorum Pontificum Constitutiones, etiam in Generalibus Conciliis editas, aut alioqui speciali mentione dignas, praefinitae sunt circa electionis tempus et locum, circa Conclave eiusque clausuram aliasque minoris momenti res, ut sunt sollemnitates et caeremoniae quae adhiberi consueverunt, nominatim circa custodiam Conclavis, circa suppeditationem rerum ad victum aliosque vitae usus pertinentium, item circa personarum, quas in Conclave suscipi oporteat, qualitates et numerum, qui tamen consuetum non excedat, aliaque huiusmodi; quas utrum omnes vel aliquas servari aut missas fieri oporteat, quod maior pars congregatorum Cardinalium suffragium tulerit, ius erit. Maioris item partis congregatorum Cardinalium erit decernere utrum, nulla interiecta mora, et ante nonum a Nostro obitu diem electio celebrari, aut etiam si publicae rei status perturbatio, vel alia gravis causa intercedat, comitiorum tempus in lon-

Digitized by Google

gius protrahi oporteat; quo postremo in casu penes eosdem Cardinales erit pari modo potestas leges circa clausuram Conclavis aliasque praescriptiones, ut supra, moderandi aut etiam relaxandi. Qua ex re Cardinales omnes a iurisiurandi religione, qua supradictas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones servare promittunt, absolvimus et absolutos fore declaramus, non solum in supradictis illarum praescriptionibus ad comitiorum tempus et locum atque ad Conclave eiusque clausuram spectantibus, verum etiam in aliis minoris momenti caeremoniis et sollemnitatibus, si quae harum observatio rei exitum retardare possit. In ceteris tamen quae celeri, quam summopere optamus, novi Pontificis electioni non officiant, maxime autem in rebus cum clausula electionem aliter factam irritante praescriptis, praeter ea scilicet quibus a Nobis derogatum est, Constitutiones ipsas observandas mandamus.

Etsi vero amplam illam facultatem Collegio Cardinalium concesserimus, praesertim quoad tempus et locum electionis futuri Romani Pontificis, nihil tamen innovatum esse declaramus, sive quantum ad generalem canonum sanctionem, ne Sede vacante aliquid innovetur; sive quantum ad speciales Constitutiones quibus cautum est, ne in Collegium Cardinalium ea potestas et iurisdictio transeat, quae ad Pontificem dum viveret pertinebat; ne Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationom facinorum adversus ea iura perpetratorum, attentare videatur, immo omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat.

Digitized by Google

Dum autem ad propositum finem expeditius assequendum, materialem Conclavis seu loci clausuram relaxari permittimus, obligationem tamen secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis aguntur, haudquaquam relaxamus. Itaque eo modo et forma, ac sub poenis a Decessorum Nostrorum Constitutionibus indictis, praecipimus iterum et mandamus, ut secretum istud accuratissime servetur atque ab aliis servari curetur, et quidem eo cautius et arctius, quo gravior se prodit temporum difficultas.

Quolibet item loco et quibusvis in adiunctis electionem celebrari contigerit, non aliter legitima et valida ea erit, quam si numerus Cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium Cardinalium omnium pro tempore existentium, plus uno saltem, excedat; quem tamen numerum si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ex Cardinalibus, qui ad comitia convenerint, mors praeveniat, aut morbus opprimat, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus Cardinales reliqui inceptum opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant. Electum vero legitimum Beati Petri Successorem et Nostrum verumque Romanum Pontificem agnosci haberique decernimus in quem secretis per schedulas suffragiis duae ex tribus congregatorum Cardinalium partes in scrutinio, sive in scrutinio et accessu convenerint; sin autem per inspirationem vel per compromissum electio fiat, eadem per Cardinales, ut supra, congregatos, servata consueta forma canonica, perfici debebit.

His universim praestitutis quae in Nostri Successoris electione, quovis loco et quibusvis in adiunctis eadem cele-

Digitized by Google

bretur servari oporteat, necessarium duximus quaedam speciatim adiicere quae pro casuum qui occurrant varietate servari debeant. Mandamus itaque et decernimus, si Nos in hac Urbe Roma vita fungi accidat, ut Cardinales, qui tum praesentes in Curia erunt, vix dum Nos diem contigerit clausisse supremum, antequam vel ipsae exequiae in suffragium animae Nostrae persolvantur (aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis aut ex alia qualibet causa, etiam cum venia vel mandato Nostro absentibus, per praescriptum decem dierum spatium minime expectatis) huius Urbis, rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, deliberent an in eadem Urbe, vel extra eam comitia pro novo Pontifice eligendo haberi debeant. Ea autem deliberatio plenum effectum sortiatur in quam maior Cardinalium tunc praesentium pars consenserit. Quod si Cardinalibus congregatis insuper visum fuerit, nulla interiecta mora, novi Pontificis electionem ad exitum adduci, praesente, ut aiunt, cadavere, liberum erit, servatis quae servanda supra praecipimus, electionem novi Pontificis vel in primo ipso conventu perficere. Insuper, ut omnis amoveatur cunctationis et perturbationum occasio, quoad Pontificias exequias praecipimus consuetum praetermitti apparatum a Constitutionibus et consuetudine invectum, easque a Cardinalibus peragi modesto ritu ac forma in Palatii Vaticani Cappella, si Nos extremum diem ibi claudere contigerit. Volumus tamen omnino et mandamus, si Cardinales comitia pro electione hic in Urbe aut alibi in Italia habenda esse duxerint, ut in casu cuiusvis iniuriae Conclavis loco vel personis illatae, quae maioris partis congregatorum Cardinalium iudicio electioni libertatem adimat,

Digitized by Google

omne illico abrumpatur electionis incoeptum, comitia dissolvantur et ad tutiorem sedem transferantur extra Italiam. Demum animo perpendentes afflictum statum in quem res Sanctae Sedis adductae sunt hostilis dominationis causa, sub qua eiusdem civilis principatus et ipsa haec Urbs Roma constituta reperitur, ne vacationis tempore dignitas et rationes eiusdem Sanctae huius Sedis adhuc detrimenta ulterius capiant, et etiam ut Sacro Cardinalium Collegio certa suppetat via qua tricis et difficultatibus, quas casus ferat, sese expedire queat, peculiari Instructione, quam huic Constitutioni adiicimus, normam et regulam praefinire sategimus, ad cuius praescriptum se conformare, prout casus tulerit, Cardinales debeant.

Cum autem ea sit temporum iniquitas, ut merito timendum sit, ne invalescens hostium nostrorum in dies oppressio et audacia, vel in deterius ruens rerum publicarum status, Nos ex hac Urbe exulatum abire cogat, vel etiam hinc abducamur vi, et extra Romanam Curiam exinde mors Nos praeveniat; decernimus atque mandamus, ut in hoc casu ex eo extra Curiam loco, ubi Nos omnipotens Deus ex hac vita migrare voluerit, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures erunt, eorum dignior, nempe non qui creatione, sed iure ceteris anteit, aut, iis omnibus absentibus, Nuntius Apostolicus et, in eius defectu, loci Ordinarius, aut Praelatus, vel alius quispiam ecclesiastica dignitate insignitus, quam celeriter de Pontificis morte Cardinalem Sacri Collegii Decanum aliosque Cardinales, de quorum sede sit edoctus, certiores faciat, ut statim ad comitia peragenda se praeparent. Cardinalis Decanus, vel ipso impedito, Cardinalis dignitate potior,

Digitized by Google

vix dum huiusmodi nuncium acceperit, vel quovis alio modo Apostolicae Sedis vacationem certo exploratam habuerit, una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex uno quoque Ordine et cum Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus, cum aliis quibusvis Cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, locum alicuius regionis, quaecumque demum ea sit, eligant, qui ad habenda comitia magis opportunus videbitur. Hinc nulla interiecta mora, idem Cardinalis Decanus, vel, ipso impedito, alius Cardinalis, ut supra, ceteris Cardinalibus vacationem Sedis Apostolicae significet, eosque ad novi Pontificis electionem advocet, ac de loco certiores faciat in quo illam peragi deliberatum fuit. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut, nisi legitimo impedimento detenti fuerint, indictionis litteris obtemperare, atque ad locum eisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant. Ceterum in quemcumque locum Cardinales, ut supra, convenerint, omnino legitima, canonica atque valida erit habenda novi Pontificis electio, dummodo ea impleta fuerint quae ad validam electionem efficiendam requiruntur, iis exceptis quibus Nos expresse derogavimus. Quae quidem omnia, proportione servata, etiam ad casum accommodari transferrique debebunt quo, quamvis Nos hic Romae accidat diem supremum obire, Sacro tamen Cardinalium Collegio, invalescente seditionum publicaeque perturbationis tumultu, hostium oppressione et insectationibus hac illac per orbem violenter disperso, comitia pro novi Pontificis electione Romae haberi nequeant.

Digitized by Google

Quoniam vero Christus Beatum Petrum dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, qui ibi, sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus conquiescit [1] praecipimus et mandamus ut Cardinales in primo quem habituri fuerint generali conventu pro novi Pontificis electione iureiurando spondeant sese omne studium et omnem diligentiam collaturos ut Pontificia Sedes Romam restituatur, vix dum obices et impedimenta amota fuerint, quae illam alio transferre coegerint.

Etsi autem in bonam spem erigamur fore, ut Successor Noster melioribus fruatur temporibus et in suprema hac Petri Cathedra diu sedeat, tamen ut contrario etiam provideamus eventui, motu item proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnia quae in hisce litteris sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris, extendimus, ac pari modo decernimus pro altera electione post Successoris Nostri obitum perficienda, si nimirum, nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit.

Si quae vero dubia exoriantur circa sensum praescriptionum, quae hac Nostra Constitutione continentur, vel etiam utrum, aut qua ratione ad usum et praxim eadem deduci debeat, sive super quocumque alio Nostrae huius Constitutionis capite, edicimus et decernimus unice penes Sacrum Cardinalium Collegium potestatem esse super his ferre sententiam; quam in rem ipsis Cardinalibus plenam tribuimus facultatem, qua hanc Nostram Constitutionem interpretari ac dubia declarare valeant. Qua quidem in re, quemadmo-

[1] S. Gelasius I, Ep. 14.

Digitized by Google

dum in reliquis, de quibus ad Nostrae huius Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberare contingat, satis omnino erit, si maior congregatorum Cardinalium pars, ut supra declaratum est, in eamdem sententiam consentiat. Mandamus autem ut hae Apostolicae Litterae voluntatis Nostrae testes quamprimum post mortem Nostram, et, si per adiuncta liceat, ipso etiam obitus Nostri die, in prima generali praesentium Cardinalium Congregatione e vestigio et extra ordinem indicenda, per integrum recitentur. Id autem impedimento minime erit quominus antea, si per tempus licuerit, nec aliae intercedant difficultates, earumdem lectio peragatur in Congregatione Capitum Ordinum, quum haec locum habebit.

Nos interim Deo et Patri per Unigenitum Filium eius Iesum Christum redemptorem hominum animam Nostram commendantes, ut ex huius vitae aerumnis erectam in caelestem patriam suscipiat, Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quibus, Nobis corpore solutis erit vita superstes, per viscera misericordiae Iesu Christi obsecramus et obtestamur, ut mutua animorum concordia et voluntatum conspiratione in hoc omnia sua studia, omnia consilia conferant, ne Petri Navis tot tantisque iactata fluctibus gubernatore diu careat. Cogitent animoque perpendant, vacante Apostolica Sede, tunc maxime nutare Ecclesiae statum; nam si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris occurrit [1]. Cogitent Ecclesiae hostibus vix quidpiam optabilius et opportunius accidere posse, quam Romani

[1] S. Gregorius M., Lib. I, Ep. 80.

Pontificis electionem in longius distrahi, aut etiam perturbari. Nam si Papa Urbis vocatur in dubium Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare [1]. Iterum vero obsecramus et obtestamur Fratres Nostros Cardinales, ut nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti, sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes in eum sua vota conferant quem animi praestantia et religionis zelo eminere prospexerint, quique mysticae Navis fortiter sapienterque clavum regere et ingruentium hostium impetus frangere sit potens; alioqui sciant districtissimo Dei iudicio poenas laturos, si sua culpa et negligentia in tanto rerum discrimine et celeri et optima novi Pontificis electione afflicto Ecclesiae statui consulere neglexerint. Electum vero haeredem et Successorem Nostrum, cui toto cordis affectu precamur a Domino, ut locum nostrum felicius occupet, rogamus ne muneris arduitate deterritus ab eodem subeundo se retrahat, at potius divinae voluntatis consilio humiliter se subiiciat, nam Deus qui imponit onus, manum etiam Ipse supponet, ne ei ferendo sit impar; is enim qui oneris est auctor, Ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem [2].

Haec igitur periculis nostrorum temporum totaque rei causa graviter considerata, ac etiam Decessorum Nostrorum Pii VI, Pii VII, Gregorii XVI et Pii IX exemplis permoti

[1] S. Avitus Viennensis, Ep. 31 ad Symmachum.

[2] S. Leo Magnus, Serm. 2, de Natali eiusdem. N. 1.

Digitized by Google

statuimus, praescribimus, indulgemus, decernentes praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, itemque tam per Alexandrum III, Gregorium X, Clementem V, Pium IV, Gregorium XV, Clementem XII, aliosque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, quam etiam per Nos de Romani Pontificis electione editis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quarum tenores praesentibus, tamquam plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habentes, iisdem omnibus et singulis ad praemissorum dumtaxat effectum illis quoad reliqua in iis contenta in suo valore permansuris, latissime et plenissime derogamus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Volumus insuper ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae eadem prorsus fides habeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent

Digitized by Google

exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXXXII die XXIV Maii Pontificatus Nostri Anno quinto.

LEO PP. XIII

Digitized by Google

IV.

REGOLAMENTO

DA OSSERVARSI DAL SACRO COLLEGIO DEI CARDINALI IN OCCASIONE DELLA VACANZA DELLA SEDE APOSTOLICA DURANTE LA CONDIZIONE ECCEZIONALE IN CUI ESSA SI TROVA

1.° – L'attitudine del Sacro Collegio durante la vacanza della Santa Sede dovrà essere la medesima, che da esso fu tenuta dal giorno dell'occupazione di Roma. Quindi *a)* i Cardinali nè individualmente, nè collettivamente si porranno in relazione con qualsiasi autorità governativa, *b)* vestiranno e usciranno privatamente come finora, *c)* non faranno funzioni in pubblico.

2.° – Monsignor Maggiordomo Prefetto dei Sacri Palazzi avviserà a tempo il Cardinale Camerlengo di recarsi al Vaticano.

3.° – Il Cardinale Camerlengo, appena avrà ricevuto tale avviso, si porterà all'Apostolico Palazzo, onde farvi atto di sovranità col pigliarne possesso, non più lasciarlo e compiervi le incombenze del suo officio.

4.° – Essendo il Cardinale Camerlengo l'unica autorità legale per riconoscere il decesso del Pontefice, egli ne stenderà l'atto regolare.

5.° – L'apposizione dei sigilli sull'appartamento del Pontefice sarà esclusivamente fatta dal Cardinale Camerlengo,

Digitized by Google

tanto nell' interesse della Santa Sede, quanto in quello di qualunque privato. Una qualsiasi violazione di questa prescrizione dovrà considerarsi come un atto di violenza contro la libertà del Sacro Collegio e la sovranità della Santa Romana Chiesa.

6.° – Lo stesso Camerlengo darà la partecipazione della morte del Pontefice unicamente al Cardinale Vicario allo scopo di far conoscere al Popolo di Roma l'accaduta disgrazia col mezzo di una Notificazione, nella quale il Cardinal Vicario dovrà annunziare che ne ha avuto comunicazione dalla competente autorità, cioè del Cardinal Camerlengo. Nella medesima il Cardinal Vicario dirà che i funerali si faranno nella Basilica Vaticana dal Capitolo di S. Pietro.

7.° Parimenti a suo tempo Monsignor Maggiordomo Prefetto dei Sacri Palazzi avviserà il Cardinale Decano perchè inviti i suoi Colleghi a recarsi al Vaticano.

8.° Il Cardinal Decano in tale invito, il quale dovrà esser datato dall'Apostolico Palazzo, avvertirà il Sacro Collegio di accedervi conforme alle prescrizioni dell'articolo primo del presente Regolamento.

9.° – Avvenuta la vacanza della Santa Sede, si chiuderanno subito le porte dell' Apostolico Palazzo. Nessuno potrà entrarvi senza un permesso del Cardinal Camerlengo. Dopo però i Novendiali l'accesso esterno ai Musei ed alla Biblioteca sarà riaperto onde il publico li possa visitare come finora, meno il caso, in cui gli avversarî della Santa Sede volessero servirsi di questa concessione come di pretesto per penetrare nelle altre parti del Vaticano.

10.° Se si presentasse alle porte del Vaticano persona armata o accompagnata da persone armate allo scopo d'in-

Digitized by Google

vaderlo, non si apriranno le porte, ma si lasceranno piuttosto atterrare dall'invasore.

11.° – Se qualche inviato sia del Governo, sia del Municipio si presentasse al Vaticano, la guardia di servizio domanderà di conoscere la qualifica e le intenzioni del medesimo, ed ottenutasi la domandata risposta, sarà portata al Cardinale Camerlengo, il quale si regolerà secondo le circostanze.

12.° – Se qualcuna delle autorità politiche o civili desiderasse parlare col Cardinale Decano o col Cardinale Camerlengo, il Cardinale aderirà alla richiesta, ricevendo la persona in luogo da destinarsi prima a tale scopo, quale luogo dovrà essere distinto dalle abitazioni destinate ai Cardinali e non mai in quelle parti dell'Apostolico Palazzo, dove riceverà tutti gli altri che hanno il diritto di venire ammessi alla sua presenza, essendone per qualsiasi titolo degni.

L'accesso all'anzidetto luogo dovrà essere dalla parte esterna dei Musei.

Il Camerlengo però o chiunque altro non riceverà colui che avesse dichiarato di voler venire per far atti di sovranità, impossessarsi di qualunque parte del Vaticano o violare in qualsiasi modo i diritti della Santa Sede.

13.° – Verificandosi che il Governo attuale offrisse i suoi servigi ed il suo appoggio al Sacro Collegio, tale offerta può venir fatta in due modi in iscritto o verbalmente, presentandosi un qualsivoglia Rappresentante del Governo medesimo sia al Cardinal Decano, sia al Cardinal Camerlengo.

Nel primo caso il Cardinale si asterrà dal rispondere alla mentovata comunicazione ed invece dirigerà al Corpo

Digitized by Google

diplomatico, accreditato presso la Santa Sede, una Nota, con la quale il medesimo verrà pregato di far conoscere al Governo che attualmente occupa Roma: *a)* che il Sacro Collegio, memore dei suoi giuramenti, non può nulla cambiare alla situazione lasciatagli dal Pontefice, che deve trasmettere intatta al Successore di Lui; *b)* che conseguentemente non può il Sacro Collegio entrare in relazione con un Governo, col quale il Pontefice non aveva alcun rapporto; *c)* che d'altronde per l'interno dell'Apostolico Palazzo non ha bisogno di alcun aiuto e quanto alla tranquillità esterna, non governando la città, non può esserne responsabile.

Nel secondo caso poi, ove un Rappresentante del Governo chiedesse di parlare al Cardinale Camerlengo o al Cardinale Decano, il medesimo lo riceverà come si è detto all'articolo 11, e ne profitterà per emettere le stesse dichiarazioni e proteste di qui sopra accennate per il caso ove si dovesse dirigere una Nota al Corpo Diplomatico.

In qualunque caso poi nessun altro Membro del S. Collegio potrà ricevere tali visite o comunicazioni per parte degli attuali Governanti, ma le rimanderà ai Cardinali Capi d'Ordine o al Cardinale Camerlengo, allo scopo di conservare in quei difficili momenti l'unità di autorità, di azione e di direzione.

14.° – Nel caso di violenze esterne, dirette a provocare disordini ed avere motivo di entrare nel Vaticano, il S. Collegio prenderà le misure necessarie e ne darà avviso al Corpo Diplomatico, onde l'ordine sia ristabilito e la libertà venga ridonata ai Cardinali.

Digitized by Google

15.° – Nel caso di tentativi per impadronirsi della Biblioteca, dei Musei, degli Archivi o di qualunque altra parte del Vaticano, si chiuderanno le porte, si lascerà atterrarle e fattasi la dovuta protesta dal Cardinale Camerlengo, ne sarà data partecipazione con Nota ufficiale al Corpo Diplomatico.

16.° – Si protesterà ugualmente nel caso, in cui si tentasse di disarmare le guardie di Palazzo e di sostituirvi le forze italiane.

17.° – Tutte le Congregazioni, tanto quelle dei Capi d'Ordine quanto quelle generali dell'intero S. Collegio, si dovranno tenere nel Palazzo Vaticano.

18.° – Adunatisi i Cardinali per tenere la prima Congregazione generale, piglieranno i necessari provvedimenti per la celebrazione del Conclave.

19.° – Il S. Collegio avuto riguardo alla località disponibile ed al minore possibile dispendio, delibererà sull'ammissione dei Conclavisti, nonchè sul numero dei Maestri delle Cerimonie, inservienti ed altri che soleano ammettersi al Conclave.

20.° – Nell'occasione che si dovranno prestare dal S. Collegio i consueti giuramenti, il medesimo rinnoverà tutte le proteste fatte dal Pontefice a difesa dei diritti, delle leggi e dei beni della Santa Sede e della Chiesa, dandone comunicazione al Corpo Diplomatico.

21.° – Le partecipazioni, tanto ai Rappresentanti Pontificî, che ai Cardinali, i quali non si troveranno in Roma all'ora della disgrazia, dovranno farsi subito per via di telegramma, nel quale dopo aver partecipato l'annunzio del-

Digitized by Google

l'accaduto si dovranno aggiungere le seguenti parole: « il resto per lettera ». Dopo la prima Congregazione poi si ripeterà la stessa comunicazione col mezzo di lettere raccomandate per indicare ai medesimi il luogo ed il tempo, in cui si sarà stabilito di tenere il Conclave.

22.° – Nella prima adunanza dei Capi d'Ordine col Cardinale Camerlengo si spediranno tutte le partecipazioni ai Governi secondo l'uso, cioè sulla base che esse saranno dirette a tutti i Governi, anche a quelli coi quali la S. Sede non ha rapporti diplomatici, tanto nel caso che questi non siano esistiti mai, quanto in quello che siano stati interrotti, purchè si tratti di Governi che furono riconosciuti dal Sommo Pontefice defunto. In questo modo si eviterà la partecipazione a tutti i Sovrani che presentemente non sono riconosciuti dalla Santa Sede.

23.° – Non dovendo il S. Collegio, conforme all'artico 1° del presente Regolamento, nulla innovare, durante la vacanza dell'Apostolica Sede, circa la situazione lasciatagli dal Pontefice, non potrà accettare Rappresentanti di quelle Potenze che hanno rotto le loro relazioni diplomatiche colla S. Sede, se anche ne fosse richiesto da qualcuna delle medesime.

24.° – La salma del Pontefice, quanto prima sarà possibile, dovrà essere vestita pontificalmente e portata privatamente per la scala interna a S. Pietro nella Cappella del SS. Sacramento, ove data l'assoluzione sarà esposta sotto la custodia di quattro Guardie Nobili ed a Cancello chiuso.

25.° – Il Sacro Collegio, per tutto ciò che non sarà diversamente prescritto da pontificie speciali disposizioni rap-

Digitized by Google

porto al luogo ed al modo della tumulazione, si regolerà conforme alle relative norme ed usi che si sono praticati sempre, per quanto le attuali circostanze lo permetteranno, e la tumulazione avrà luogo coll'intervento dei Cardinali a porte chiuse.

26.° – Oltre le esequie che si celebreranno pubblicamente in S. Pietro, i Cardinali le faranno privatamente alla Cappella Sistina coll'assistenza della Prelatura e degli aventi diritto alle Cappelle Pontificie o Cardinalizie.

27.° – Gli atti che hanno luogo nella evenienza della vacanza della S. Sede, saranno redatti da un Chierico di Camera, il quale rivestirà pure la qualifica di Protonotario Apostolico, nonchè dal Notaro della Camera Apostolica.

28.° – Il Cardinale Camerlengo avrà cura di provvedere a quei cambiamenti resi dalle circostanze necessarî, che si riferiscono alla custodia di alcuni rami di amministrazione, soliti già ad affidarsi ai singoli Prelati di Camera.

29.° – Egli avrà egualmente cura, in vista delle circostanze, a che sia provveduto al vitto dei Cardinali nel Palazzo stesso del Vaticano.

Il medesimo Cardinale invigilerà parimenti affinchè in questa circostanza, come in tutte le altre, relative alle comunicazioni colle persone estranee al Conclave non vengano infrante le più rigorose prescrizioni sulle proibite comunicazioni del Conclave con chicchessia.

30.° – Qualora poi nella prima Congregazione generale il Sacro Collegio risolvesse di tenere il Conclave fuori d'Italia, si dovrà darne subito avviso ai Cardinali che non si troveranno in Curia.

Digitized by Google

31.° – Si dovrà nel medesimo avviso indicare il luogo del convegno e fissare il giorno in cui dovranno trovarsi nell' indicato luogo.

32.° – Nel medesimo caso i Cardinali Capi d' Ordine dovranno partecipare tale risoluzione al Corpo Diplomatico, invitandolo a seguire il Sacro Collegio nel luogo, ove il medesimo avrà stabilito di recarsi, ed ove giunto adotterà quelle misure e provvidenze che crederà più utili ed opportune.

Digitized by Google

INSTRVCTIO

A SACRO CARDINALIVM COLLEGIO OBSERVANDA VACANTE SEDE APOSTOLICA DONEC EXTRAORDINARIA CONDITIO PERDVRET IN QVA NVNC IPSA VERSATVR.

(Versio latina).

1. Vacante Apostolica Sede, Sacrum Cardinalium Collegium eodem modo se gerat quo se exhibuit eo ipso die quum Roma occupata est. Quapropter *a)* Cardinales sive singillatim, sive collective ab omni communicatione cum quavis civili auctoritate abstineant: *b)* privato more se vestiant et incedant, veluti huc usque ab iis servatum est: *c)* sacra munera, quae eorum dignitatis sunt, haud publice obeant.

2. Sacri Palatii Apostolici Praefectus Cardinalem S. R. E. Camerarium opportune moneat ut ipse se ad Vaticanas aedes conferat.

3. Cardinalis Camerarius, statim ac ab eodem Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, eo pergit ut summi imperii actu ipsius Palatii possessionem capiat, illudque nunquam derelinquat, ibique omnes officii sui partes expleat.

4. Cum Cardinalis Camerarius unica auctoritas sit quae legitime obitum Pontificis cognoscere possit, de obitu ipso authenticam attestationem exarabit.

5. Sigilla aedibus privatis defuncti Pontificis unice a Cardinali Camerario apponentur, idque ad servanda iura tum

Digitized by Google

Sanctae Sedis, quum cuiuslibet privati hominis. Quaevis huius praecepti violatio haberi debebit tamquam vis contra S. Collegii libertatem et summam Sanctae Romanae Ecclesiae potestatem illata.

6. Idem Cardinalis Camerarius mortem Pontificis Cardinali Vicario significabit, ut hic de re Populum Romanum edoceat publico edicto, quo ipsemet Cardinalis Vicarius enunciabit rem sibi a legitima auctoritate fuisse communicatam, scilicet a Cardinali S. R. E. Camerario, et iusta funebria in Basilica Vaticana esse persolvenda a Capitulo S. Petri.

7. Pariter opportune Sacri Palatii Apostolici Praefectus moneat Sacri Collegii Cardinalem Decanum, qui collegas ad Vaticanas aedes advocet.

8. Cardinalis Decanus in hoc advocationis nuncio, quod ex Aedibus Vaticanis expresse dabitur, Sacro Collegio significabit ut accedant iuxta praescripta articuli primi harum regularum.

9. Statim ac Sancta Sedes vacaverit, illico Apostolici Palatii portae claudantur. Nemo ingredi poterit nisi ex venia Cardinalis Camerarii. Verum novendialibus peractis, exterior accessus ad Musaea et Bibliothecam iterum pateat, ut omnes ea loca visitare possint, veluti huc usque factum est: claudatur tamen si S. Sedis hostes hac concessione uti velint tamquam praetextu quo sibi aperiant aditum in alias Aedium Vaticanarum partes.

10. Si quis ad Vaticanarum Aedium portas armatus ipse aut cum manu hominum armis instructorum accedat eo consilio ut S. Palatium invadat, portae non aperiantur, sed potius sinatur ut ab invasore evertantur.

Digitized by Google

11. Si contigerit ut aliquis a Gubernio aut a Municipio missus ad S. Palatium accedat, satelles, qui tunc in statione erit, petet ab eo quisnam sit et qua de causa venerit: responsio autem accepta ad Cardinalem Camerarium deferetur, qui pro temporis adiunctis rem aget.

12. Si aliqua auctoritas vel politica vel civilis expetiverit loqui cum Cardinali Decano aut Cardinali Camerario, is petenti satisfaciet. Verum in loco iam antea ad rem expresse constituto personam illam excipiet: locus tamen distinctus erit a ceteris Cardinalium habitationibus, neque ulla Apostolici Palatii in parte situs, ubi excipere solet ceteros omnes, quibus quolibet titulo ius competit ut ad eius praesentiam admittantur. Ad praedictum locum exteriori Musaeorum viâ accedetur. At Camerarius aut quivis alius eum excipere recusabit, qui forte declarasset se eo consilio velle in Apostolicum Palatium ingredi ut summae potestatis et imperii actus ederet, aut Vaticanarum aedium quavis parte potiretur aut quolibet modo Sanctae Sedis iura violaret.

13. Si forte contingat ut italicum Gubernium opem et auxilium suum Sacro Collegio offerat, distinguendum est an haec auxilii oblatio scriptis vel potius ore fiat, scilicet accessione cuiusdam legati ab eodem Gubernio missi, ad Cardinalem Decanum aut ad Cardinalem Camerarium.

In priori casu, Cardinalis Decanus nihil respondebit praedictae communicationi, sed diplomaticum Coetum Legatorum, qui apud Apostolicam Sedem sunt, litteris opportune datis exorabit ut Gubernio Romam nunc occupanti nunciet *a)* Sacrum Collegium, iuramentorum, quibus adstrictum est,

Digitized by Google

memor nullam mutationem inducere posse illi rerum conditioni, quam defunctus Pontifex reliquit atque ipsum S. Collegium integram Successori eius transmittere debet. *b)* Itaque nullam communionem Sacrum Collegium cum Gubernio habere posse, quocum defunctus Pontifex minime communicabat. *c)* Ceterum in iis, quae spectant interiorem S. Palatii partem, nullum auxilium opus esse: in iis vero, quae ad tranquillitatem exteriorem pertinent, quoniam S. Collegium Urbem non regit, nihil respondere posse.

In altero casu autem, si quis ab italico Gubernio missus peteret loqui cum Cardinali Camerario aut cum Cardinali Decano, hic eodem modo excipiet eum ac supra ostensum est ad articulum 12 atque oblata occasione utetur ut easdem declarationes et protestationes edat, de quibus supra in priori casu dictum est, ubi dirigendae essent protestationis litterae ad Coetum Diplomaticum.

In quolibet casu vero nulli alteri e S. Collegii Membris has visitationes et communicationes licebit excipere nomine eorum qui nunc gubernant, sed eas deferet ad Cardinales Ordinis capita aut ad Cardinalem Camerarium: idque eo consilio fiat ut in illis difficilibus rerum adiunctis integra servetur unitas auctoritatis, actionis et directionis.

14. Si foris violentiae actus fiant ea mente ut perturbationes excitentur atque hinc praetextus sumantur in S. Palatium penetrandi, S. Collegium necessarias cautiones adhibebit, ac de re Diplomaticum Coetum certiorem faciet, ut tranquillitas componatur et Cardinalibus restituatur libertas.

15. Si quis conetur Bibliotheca potiri, Musaeis, Archivis aut qualibet alia S. Palatii parte, claudantur portae, sinatur ut

Digitized by Google

evertantur ac, debita protestatione a Cardinali Camerario emissa, solemnibus litteris de re Diplomaticus Coetus certior fiat.

16. Debitae protestationes pariter edantur si quis conetur armis exuere S. Palatii excubias, atque earum loco italicos milites ponere.

17. Omnes Congregationes tum particulares Capitum Ordinis, quum generales totius S. Collegii, haberi debebunt in Palatio Vaticano.

18. Cardinales in coetum collecti ut primam Congregationem habeant, opportune consulant Conclavi celebrando.

19. S. Collegium, attentis locis quae in promptu fuerint, expensisque adhibitis quo minori mensura possibile erit, de Conclavistarum admissione deliberabit, ac simul de numero Caeremoniarum magistrorum, famulorum aliorumque qui ad Conclave admitti solent.

20. Quum constituta iuramenta S. Collegium praestiturum erit, tunc ipsum omnes protestationes iterabit a defuncto Pontifice pro iuribus, legibus et bonis S. Sedis et Ecclesiae tuendis editas, quin tamen omittat de re Diplomaticum Coetum certiorem facere.

21. Pontificis mors tum Pontificiis Legatis, quum Cardinalibus, qui Romae non adfuerint quando ipse Pontifex obiit, subito nunciabitur telegrammate, quo, post significatam mortem, adiicientur haec verba: « *reliqua per epistolas* ». Prima Congregatione habita, idem nuncium iterum dabitur per commendatas litteras, sigillisque munitas, ut iisdem locus et tempus significentur, quibus Conclave habebitur.

22. In prima congregatione, quam Ordinis capita cum Cardinali Camerario habebunt, omnes communicationes ex

Digitized by Google

more ad Gubernia mittentur, idest mittentur ad omnia Gubernia, etiam ad ea quibuscum S. Sedis diplomaticas communicationes forte non habeat, etsi hae communicationes vel numquam intercesserint vel interruptae fuerint, dummodo haec Gubernia recognita iam sint a Summo Pontifice defuncto. Hac via et ratione impedietur quominus nuncium ab Apostolica Sede iis omnibus Principibus detur, quos ipsa nunc haud rite cognoscit.

23. Cum nihil a S. Collegio (veluti supra ad articulum *primum* harum Instructionum constitutum fuit) vacante Apostolica Sede innovandum sit in ea rerum conditione, quam Pontifex moriens reliquit, nullo modo eorum Statuum legatos ei excipere fas erit, qui diplomaticas relationes cum Apostolica Sede disruperint etsi hi Status excipi ultro petant.

24. Defuncti Pontificis corpus pontificalibus vestibus, quo citius fieri potest, induatur, ac privatim scala interiori ad S. Petri Basilicam deferatur in SSm̃i Sacramenti sacellum. Ibi, absolutione data, exponetur, quatuor e Pontificia Militum Nobilium cohorte cadaver custodientibus, cancelloque clauso.

25. S. Collegium, nisi aliter pontificiis singularibus placitis circa sepulcri locum et sepeliendi morem fuerit constitutum, rem aget iuxta opportunas normas et consuetudines, quae semper in vigore fuerunt, quantum temporum permittant. Tumulatio praesentibus Cardinalibus fiet, clausis ianuis.

26. Praeter exsequias, quae publice in Basilica S. Petri peragentur, alias privatim Cardinales persolvent in Syxtino Sacello, Praelatorum conventu eorumque qui iure ad Sacella Pontificia et Cardinalicia invitandi sunt.

Digitized by Google

27. Acta, vacante Apostolica Sede, exaranda unus Clericis Camerae (qui tunc etiam Protonotarii Apostolici munere fungetur) et Notarius Camerae Apostolicae simul scriptis consignent.

28. Cardinalis Camerarii erit eas omnes innovationes inducere, quae pro re nata necessariae fuerint, ut congruenter apteque nonnullas administrationis partes custodire ac tueri possit, quae iam singulis Camerae Praelatis concredi solent.

29. Pariter Cardinali Camerario curae erit ut victus Cardinalibus provideatur et ministretur in ipsis Vaticanis aedibus.

Idem Cardinalis invigilabit ne in hac et omni alia occasione, quae communicationes cum personis ad Conclave non pertinentibus spectet, ullo unquam modo sanctiones rigidissimae frangantur quae constitutae fuerunt ne quis a Conclavi cum externis communicet.

30. Quod si in prima Congregatione Generali S. Collegium constituerit Conclave extra Italiam celebrare, id Cardinalibus, qui in Curia non adsint, subito nuncietur.

31. In eodem nuncio certus locus, et tempus, quo simul conveniant, significetur.

32. Pariter Cardinales Ordinis Capita rem Diplomatico Coetui nuncient, eumque invitent ut sequatur S. Collegium in locum pergens, quem ipsum S. Collegium elegerit: quo cum pervenerit, eas rationes et consilia in agendo adhibebit, quas magis idoneas utilioresque reputaverit.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

MDCCCCVI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

JUN 18 '62 H


3 2044 105 534 432